

H. V.
237.

V 237
1

SPECIFICA METHODVS
RECENTIOR,
CANCRVM SANANDI,
CVIVS
HISTORIAM, ANALYSIMQVE CHEMICAM,
ET MEDICAM PRACTICAM,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
IO. CAROLO LVDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DVCE BAVARIAE,
COMITE VELDENTIAE ET SPONHEMII rel. rel.

PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO,
DN. PHILIPPO FRIDER. GMELIN,
MEDICINAE DOCTORE,
BOTAN. ET CHEM. PROFESSORE PVBL. ORD.

PRO CONSEQVENDO LEGITIME
DOCTORIS MEDICINAE GRADV

PROPRIO EXARATAM VITVLO
PVBLICAE VENTILATIONI EXPONIT
D. V. MARTII MDCCLVII.

ACHATIVS GAERTNER, Caluensis.

TVBINGAE, TYPIS ERHARDTIANIS.

Med. v. 237

SPROCA METEOR (40)
RECTOR

CANCRVM SANANDI

CIVIS
HISTORIAM ANALYSIMQVE CHEMICAM
ET MEDICAM PRACTICAM

RECTOR UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

IO. CAROLO LUDOVICO

COMITE PALATINO RHENI DUCI BAVARIAE
COMITE VELENTIAE ET SPOHEMIIS etc. etc.

PRASIDE

VIRO EXCELL. ENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DR. PHILIPPO FRIDER. GMELIN

MEDICINAE DOCTOR
BOTAN. ET CHEM. PROFESSOR. PUBL. ORD.

PRO CONSECRANDO LEGITIME

DOCTORIS MEDICINAE GRADA

PROPRIO EXAMINAM VITULO

PUBLICAE VERIFICATIONI EXHONIT

D. N. MARTII MDCCCLII.

ACHATVS GARTNER, Calensis.

TRINQVE, TYPIS BRUNSVIGENSIS



Q. D. B. V.

PRAEFATIO.



*T*ot inter, tantaque mala, quæ miseros cruciant
mortales, ac felicitati, sanitati, & vitæ insi-
dias struunt maximas, jure meritoque primus
occupat locum fonticus ille morbus, qui
diu Canceri nomine innotuit. Hic
illa loca, quæ corripit, destruit, omnia deuastat
nunquam lentam, nonnunquam citam, &
mortem, omnibus Medicorum tentaminibus
bus, quibus huic debellando, & extirpando
sepius insultat, & atrocissimis doloribus
Etos, intolerabili fœtore replet omnibus
tus est, certo certius animam e se

A

Hæc mali atrocitas, & morbi contumacia, protracta diurnitas, & summum periculum impulerunt omnis ævi Medicos, ut serio cogitarent de remedio certo, quo & ipsum domare morbum, & crudeles ejus effectus lenire, ac sedare quodammodo possent. Alii hanc, alii aliam, id ut obtinerent, selegerunt viam; alii unice in ferrum & ignem omnem salutis, & exoptati euentus spem posuerunt, alii his externis, non ubique pro ratione loci, ob metum destructionis vasorum majorum, & neruorum adjacentium, vel admittendis, vel alibi non sufficientibus, non contenti, triplex naturæ regnum omni cura perquisiuerunt, quo remedia eruerent interne danda, sufficientia, præstantia, non neglectis tamen omnibus externis remediis, exsiccantibus, mundificantibus, ut sic junctis viribus debellarent hostem horrendum, & infensissimum. E vegetabilibus illa corpora, quibus narcotica vis inest, reuera multum præstiterunt, sic exempli gratia Cicutæ, Atropæ, Hyosciami, Papauer album, in- & externe applicata, multum leuaminis attulerunt. * Atropæ grj. in aqua fontana infusum, ægroque, Cancro jam ad summum gradum producto laboranti, quotidie propinatum, post sumtas dicto modo sex hujus herbæ drachmas, abstulit plenarie scæum hoc malum, & perfectæ reddidit sanitati ægrum hoc ob-
sum. Sic etiam Phytolacæ folia recentia, Cataplasmatibus imposita Cancro, multis abhinc annis observationibus lauauerunt Angli, tanquam specifica virtute plenam
ejus

his tota hæc cura a Prof. Grœningensi tributa & communicata recensetur. vid. A. 1755. e inaugurali hujus Medici, sistente ephemeride, Grœningæ 1754. apud Henr. Fechner. Comptuarium Hamburgicum, cui tit. Ham-
l. P. I. Hamburg und Leipzig 1756. verna-

ejus persanationem præstantia. Nec minus e regno animali millepedum succum, & juscula saturata e carne viperarum singularibus aliqui extulerunt laudibus. E familia mineralium Medici practici interna æque, ac externa sumserunt pharmaca, quæ inter mercurius, & ejus præparata eminent; hic etiam dulcis redditus, prouide corpori ingestus, progressum cancri teste multa experientia retardauit; singularem enim corpus hoc, & quasi specificum in sedem Cancris communem, glandulam scilicet, exerit effectum. Quæ igitur ab ullo remedio speranda erit medela in hoc indomabili fere morbo, certo certius hanc præstabit argentum viuum, ex ratione, & effectu recensitis. Sunt quidem, qui plane denegant remediis specificam, & constantem efficaciam in unumquodque indiuiduum, diuersam ætatem, sexum varium, consuetudinem, vitæ & vitæ rationem, idiosyncrasiam, quæ omnia mirum in modum variant, talem determinatum effectum non admittere profitentes. Nec ibo inficias, carere humanam cognitionem specificis talibus, quæ nullos ullo in casu limites metuant, ea vero, qui desiderat & expectat, humanum omne, id est, imperfectionis minutias abesse vult ab homine; non alia sperari debent specifica, quam quæ sua efficacia indiuidualibus morbis, forsitan & partibus humani corporis viui constantissimum, exemplisque rarissimis fallentem salutiferum effectum opponunt, & imprimunt. Atque sic habemus oppido nonnulla medicamenta, quorum constans effectus inuit, non plane rejicienda esse hoc sensu specifica. Sic Falappa, & reliqua purgantia semper mouent aluum; Opium neruis Europæorum constanter soporem inducit; Mercurius ptyalismum excitat; Rubia tinctorum ossa rubro colore tingit; Peruvianus cortex certo certius febriles motus suppressit, Datura insaniam creat; forte plura talia latent ad alios morbos remedia; felices Medici, si nouissent! Nonne ergo hæc probare videntur,

videntur, certam, immutabilem, & specificam vim remediis
 multis datam, & a natura concessam esse, quæ, quanquam
 a diuersitate constitutionis ægrorum, quibus propinantur, limi-
 tetur quodammodo, attamen semper efficaciæ suæ directionem
 eandem seruat. Non autem negandum est, multa remedia pro
 specificis venditari, quæ talia non sunt, & contra vero est
 simile, dari plurima, quæ ignorantur, & futura ætati dete-
 genda adhuc sunt. Placuit dissertatione hac inaugurali dis-
 cutere remedium singulare contra Cancrum, & ratiociniis, ac
 obseruationibus disquirere, quantum aduersus hunc morbum re-
 bellem id præstare possit, & qua ratione agat? Est composi-
 tum quidem, sed potissimus rei cardo videtur in præparato che-
 mico mercuriali verti. Describam illud cum suis effectibus can-
 dide, tumque, ut felicius ejus analysin, & agendi modum pro-
 sequi possim, præmittam concisam Cancri historiam, quæ fide-
 liter genesin, & naturam ejus, causas & phænomena exponat.
 Sequetur hanc, Anatome ipsius remedii specifici chemico-medica
 sollicita. Ex his autem omnibus inter se collatis, & mutuo sibi
 applicatis modestam construam epicrisin, quæ a priori etiam il-
 lustret quodammodo possibilitatem hujus effectus, cum prudens
 Medicus non absque opprobrio credulitatis adeo facile specifica
 talia obtrudere sibi patiatur.



TRACTA-

❧ ❧ ❧


5

TRACTATIO.

§. I.



Colligam primo curate data omnia, quæ themati præfenti enodando seruiunt. Atqui vero inter ea præcipua est specifici contra Cancrum plena historia, quam paucos ante annos Petropoli Tubingam perscripsit B. D. D. GMELINO, Excell. Dn. Præfidis Fratri, Chemiæ & Botanic. Professori heic olim publ. ord. DN. D. SANCHEZ, nunc Lutetiis Parisiorum viuens, natione Lusitanus, practicus felicissimus, & obseruator candoris puritate celeberrimus. Verba ejus his in literis ita habent: *Mitto tibi ad finem descripta remedia, quibus vidi persanatum nasi cancrum, qui jam ad ossa penetrauerat, & ad jugalia usque semet extenderat.* DN. NITCH, cui ego hanc impertitus fui methodum, applicauerat eam ægro per trimestre, cujus sub finem perfecte sanatus fuit, nec metue quicquam ab ejus usu, obseruatis cautelis adjectis; optimo cum successu ea sic usus fui, ego plus quam vicies in lue venerea; omnis medendi methodus huc redit: ℞. Mercurii sublimati albi corrosiui grana quatuor, spiritus vini uncias quadraginta octo, m. exactissime, seruentur; singulis diebus assumenda uncia una mane, alia vespere, desuper bibendæ sex uncia feruidi decocti. ℞. Rad. Sarsaparill. uncias quatuor, Rad. altheæ unciam unam, Lign. Sassafr. drachmam unam, coq. sec. a. in V. quadrant. aquæ per horas duas, lento igne, clauso vase; colaturæ quatuor librarum, capiat uncias sex, post spiritum vini, & singulis biboriis mane in lecto ad sudorem componatur corpus, tectum semper seruandum in perspiratione, capite, collo, auribus bene munitis, aliter tussis, diarrhœa, capitis immanes dolores superueniunt. Cancro ex-



terne applicentur sequentia: ℞. Acet. Sambuc. unciam dimidiam, aquæ rosarum, & Samb. aa. libr. dim. Salis Ammon. drachmam dim. Spiritus matric. drachm. unam, vitrioli cyprici grana quinque, m. f. fatus, pannis laneis excipiendus, quater de die applicandus egelide, & per dimidiam horam seruandus, post linimento inuncto, plumaceolo excepto, sc. ℞. Aceti Litharg. unciam unam, Sacchari Saturni scrupulum semis, Succu semperuiui majoris recenter expressi unciam unam, Unguenti nutriti unciam unam semis, subigantur inter se optime, fiatque linimentum; sic per tres menses ad sanationem usque hæc applicentur omnia interna & externa. Hæc sunt ipsissima cel. D. SANCHEZ verba, & ex iis apparere videtur, illum in mercurium sublimatum omnem felicis euentus rationem posuisse, ab eoque specificam, propriamque medelam expectare.

§. II.

Subjungam statim Cancri historiam in prologo promissam: *Cancer, Carcinoma* *) est Tumor durus, solidus, a potiori glandulosus, a paruo principio lente increfcens, difficile resolubilis, sub cuius incremento doloris sensus major est, minorue, intimaque corruptio, rupturam minitans malignam, insanabilem, vel & ipsa tumoris accidit ruptura.

§. III.

Ergo cancri rudimentum primum est tumor durus in glandulis, ortus paruo principio; talem tumorem appellant


* Veteres usi fuerunt vocabulo cancri, quo recentiores pro carcinomate utuntur, ut exprimerent gangranam, frequentius, carcinomatis contra vocem soli dederunt cancro, eadem significatione, quam hodie cum veteribus tribuunt carcinomati, quod probat HEISTERVS in suis *Chirurgiæ Institutionibus* e variis CELSI locis.

lant scirrhum autores. Diuiditur scirrhus in exquisitum, & non exquisitum; exquisitus dicitur: sensu & dolore carens, non exquisitus, dolorem quidem non habens, sed tamen sensum. Debemus probe discernere reliquos in corpore obuios, duros tumores a scirrho, differunt enim ab hoc actu ratione euentus, & saltim ratione duritiei conueniunt. a) Tumores ergo Scirrroides appellandi sunt magis; locus, materiae contentae densitas, pertinax, quam omnibus remediis opponit resistentia, & facilis in cancrum degeneratio distinguunt scirrhum a multis aliis tumoribus duris.

§. IV.

Veteres latius quidem sumserunt scirrhi vocabulum, eoque omnes fere indurationes, prominentesque supra cutem excrescentias e quacunque causa ortas, resolubiles, vel irresolubiles insigniuerunt nomine. Sed hac ratione nullus esset Scirrhus determinatus affectus præternaturalis. Multae occurrunt insuper eminentiae durae, propriis etiam nominibus insignitae, quae per totam vitam innocuae manent, & licet aperiantur, cancri tamen naturam non facile induunt. Huc mea sententia referendi sunt sequentes tumores, ex. gr. scrophulae, phyma, phygethlon, bubo, parotis, epinyctis, furunculus, omnes verrucarum species &c. quae omnes, & singulae indurationes, experientia teste, vel resoluuntur, vel, si in abscessum migrant, facilius digeruntur, consolidantur, sananturque. Si etiam unus, vel alter ex hisce dictis tumoribus malignitatis quid alat, magis tamen remediis adhibitis obsecundant,

a) Clar. VAN SWIETEN *Commentaria in BOERHAAVE Aphorismos de cognoscendis & curandis morbis*, T. I. p. 844. edit. Hildburghus.



secundant, minus serpunt, crebriusque curantur, ac scirrhus malignus, & cancrusus redditus. Tumores illi cystici, folliculosi: meliceris, atheroma, steatoma, sponte nonnunquam in abscessum desinunt, vel incisione & remotione materiae contentae feliciter sanantur; excrescentiae autem fungosae, carnosae: ut fungus, ficus, epulis, farcoma, farcocele, ratione ortus, incrementi, naturae, duritiei, symptomatum, atque euentus magis cum Scirrho conueniunt, & hos tumores, ut Scirrhos male tractatos in cancrum abire docuerunt b) obseruata practicoꝝ.

§. V.

Scirrhus ergo est, & manet peculiaris, atque distinctus tumor, qui sinistre medicatus, intempestiue motus, summum malignitatis, & detestabilis corruptionis gradum, quem *Cancrum* tum appellamus, induit.

§. VI.

Individuus ergo *Carcinoma* est Scirrhi maligni comes; farcomata exulcerata etiam deplorabilem talem deuastrationem afferunt, similemque partibus inurunt necem; ambo hi tumores duri, paruum sumunt initium, ambo doloris sunt expertes, ambo recentes, nec inueterati sensum habent, ambo in augmento adjacentia vasa turgida, varicosa reddunt, haecque atro, & crasso replent sanguine; ambo medicationem respuunt, utrumque denique malum tandem in horrendam illam exulcerationem cancrusam terminatur; c) hinc color ulceris, squalor, odor, ab-

b) IOH. GRASHVIS *Exercitatio medico-chirurgica de Scirrho & Carcinomate*, Cap. V. p. 56. edit. Amstelod., 1741.

c) Idem loco cit.

abominabilis, ipso malo fere intolerabilior in utroque casu unus & idem. *d)* Denique etiam ratione causarum maxime inter se conueniunt; unica, & characteristica differentia in loco affecto quaerenda erit. Sarcoma glandulam etiam obsidere potest, quanquam non semper obsideat, scirrhus autem non aliam sedem, quam in glandula eligit. *e)*

§. VII.

Causae hujus mali remotae infinitae esse possunt; errores in diæta, qui spissos, viscidos, pituitosos gignunt humores; animi pathemata, ira, mœror, terror, vel & contusiones, nec non euacuationes, aut artificiales, aut naturales interceptae, & omissae, inflammatio partium praegressa; proxima causa scirrhi, & antecedens Cancris est obstructio, & induratio humoris in glandula.

§. VIII.

Glandula est congeries, vel fasciculus vasorum minimorum diuersae fortis, in glomus peculiare diuersimode inter se complicatorum, contortorum, implicatorum, medianteque cellulosa tunica inter se conjunctorum natus, eum in finem, ut determinatum huc aduectum fluidum fecernant, colligant, mutant & corrigant. Vasa in dicta glandula conspicua sunt: 1) arteriosa, 2) venosa, & lymphatica duplicis generis, unum, quod succum in cauum quoddam, alias folliculum nuncupant, exonerat, alterum,

d) IOH. GRASHVIS loco cit.

e) HIPPOCRATES *de morbis mul.* L. II. CELSVS L. V. Cap. XXXVIII. GALENVS *de praecognoscendis ex pulsu* L. IV. it. ad GLAUC. L. II. cap. 4. VESALIVS *chir. magn.* L. V. Cap. XVII. FRID. HOFFMANN *Met. rat. syst.* T. IV. P. V. Cap. VI. BOERHAVE *Aph. de cognoscendis & cur. morb.* p. 484.

rum, quod iterum resorbet, & denique fibrillæ nerueæ ubique obuæ; hæc omnia tandem vasculosa teguntur membrana, totumque hoc corpus salutatur glandula.

§. IX.

Trifariam hæc glandulosa corpora dispeſcunt Anatomici ut plurimum: illa, quæ receptum & secretum succum in suis folliculis ad debitum usque tempus recondunt, & denique per proprium excretorium ductum ulterius pellunt, simplices appellant glandulas, quæ autem & folliculo, & excretorio ductu carent, saltimque vasis lymphaticis, lacteisque transitum concedunt, conglobatas salutat, si denique plures simplices glandulæ collectæ, coæruatæ, atque per cellulosam inter se junctæ, utcunque laxæ, propriis suis emissariis in unum communem confluunt excretorium ductum, propriaque membrana communi cinguntur, conglomeratam nominant glandulam alii, alii simplicem compositam. f)

§. X.

Apparet ex hac glandulæ notione, nullibi magis stagnationem suboriri posse, quam in ipsa glandulosa compage, & scirrhum facile hic nasci. Mira conuolutio enim, & implicatio vasorum subtilissimorum facit, ut liquida iusto crassiora, tenacia, hæc vasa non subire queant, sed ea magis oppilent.

§. XI.

Ex antecedentibus §§. patet, glandulam e minimis vasis diuersæ fortis conſtari, multum ergo intererit, inquirere,

f) RVYSCHIVS in resp. ad epist. BOERHAAVII, de glandula. HALLER in notis ad prælect. acad. Boerhaavii in institutiones rei medicæ, Vol. II. p. 387. sq.

quirere, ubi, & in quo vase proprie occurrat obstructio? Hæc enim consideratio in Therapia magni est momenti. Si vasi adherenti hæret impacta crassa materia, spes superest, ut unda a tergo premens, atque a vi vitæ impulsa, hanc soluat, protrudatque; si vero in secernente vase tale quid obtinet, ubi impulsus jam minor est, plus erit periculi; si in cauo, ubi deponitur secretum fluidum, similis occurrit stasis, multo minus speranda erit resolutio; si denique in interstitiis cellulosæ tunicæ, vasa glandularum inter se cingentis, suboritur talis inspissatio, vix resolutio obtinenda erit, quoniam quasi extra leges circulationis impactum positum est; deinde non solum ratione loci, sed etiam ratione materiæ diversæ, quæ in hac glandula alia, in illa iterum alia existit, stasis occurrens consideranda erit.

§. XII.

Si in tali descripta glandula transcolandum fluidum, ob crassitiam immeabile, retardatur, fluidiore parte resorpta, reliqua crassa materia immobilis hæret, auctaque per affluxum novi, itidem spissi, liquoris distendet glandulam, tandemque magis magisque indurata efformabit scirrhum, qui diu absque omni incommodo parua mole, & sine celeri augmento in uno eodemque statu permanere potest, si saltim in adherentibus vasis, præparantibusque hæreat impactum, irresolubile; si e contra in interstitiis, atque alveolis cellularis tunicæ, valde extensilis, resideat, eoque deponatur tenax, spissa materia, breui ingentem molem potest excrescere tumor durus; constat enim e physiologicis, hanc cellularem tunicam miram pati extensionem, atque contractionem; docent id obesi homines, a morbo prægresso macilenti redditi, breui post superatum morbum iterum pingues euadentes;

hæ ergo cellulæ in statu naturali a deposito adipe extensæ, atque dilatatæ patientur in statu præternaturali eadem, similemque admittent expansionem; probat id etiam emphysema, vel artificialis inflatio; si denique lumina vasorum resorbentium sunt obstructa, ut nec liquidiorum partem magis recipere valeant, celerius augebitur distensio, crescetque tumor scirrhusus.

§. XIII.

Natus priori §. descriptus scirrhus, per multos annos innocuus, omnisque doloris expers permanere potest; si autem incongruis medicamentis mouetur, vel diætæ erroribus, animique affectibus irritatur malum, accedentibus ataxiis euacuationum naturalium, in refractarium illum morbum, *Cancrum* nempe, transire solet.

§. XIV.

Indolentia hujus Tumoris dependere videtur a pressione neruorum, qua influxus fluidi neruei in has partes quodammodo imminuitur, a lenta compressione fibrarum omnium, & hinc inducta plenaria tandem anaesthesia, quamuis & raritas pauciorum, quæ glandulas a potiori adeunt, fibrillarum neruearum hic pariter aliquam pro absentia doloris symbolam conferat.

§. XV.

Impacta, condensata, incarcerata massa, quiescens, expers hæctenus acrimoniæ, nulla creans incommoda, saltemque parti, cui inhæret, functionem suffurans, vicina non turbans, & hac ratione mitis, atque blanda, a causâ quacunque, vel externa, vel interna mota, inflammatione orta in vicinis vasis, indolem mutat suam, indolentiam excipit dolor, magis inflatur tumor, fit liuidus, fuscus, niger, adjacentia vasa inflammata tument, & varicosa red-

red-

redduntur, atque sic scirrhi in cancrum transitus peragitur, eoque præfente, integris tamen, nec adhuc exefis inuolucris, *occultum* appellant *cancrum*; quando autem a materia jam acri eroduntur pelles hæctenus coërcentes, ut foras effluat fanies putrida, corrodens, fæetida; *apertum* dicunt *cancrum*.

§. XVI.

Dictum fuit hæctenus, Cancrum nafci ut plurimum e scirrho: interim non negandum est, in aliis etiam corporis partibus præter glandulam simile oriri posse malum, & quidem absque prægresso scirrho, imprimis autem in illis, quæ ratione functionis certam quasi cum glandulis habent analogiam, & ad quas multa vasa excurrunt lymphatica, quæ scilicet etiam secretorium munus administrant, liquoremque a sanguine jam distinctum, & ad coagulationem, ac spiffitudinem aptiffimum vehunt; hoc autem non obstante, sententia usque dum assumta, firmo stat talo, a potiori enim fit denominatio.

§. XVII.

Cancer apertus redditus omnia deuastat, corrodit, campum ulcerosum inæqualem, alibi madente superficie, alibi retorridis, callofis, asperis labiis, ubique valde anomalum aperit, intolerabilem spargit odorem, caduerosum, vix tolerandum, miserrime cruciat ægros, vasa majora adjacentia exedit, perpetuo ulterius serpit, rodendo, dilacerando obvia vasa majora, hæmorrhagias cauffatur lethales, diesque noctesque torquet miseros, ichor exudans linamenta illico destruit, intolerabilis odor famulantes inficit, ut contagiosi quid alere videatur; g) tandem

acce-

g) HILDANVS Cent. II. observ. LXXVIII. it. TVLPIVS. L. IV. C. 8.

accedentibus aliis symptomatibus, sc. vigiliis, pauoribus, anxietatibus, lipothymis, spasinis vehementibus, motibus contulsivis, tremoribus, mentis alienationibus, & quæ sunt rel. mortem, tanquam ultimum solamen patiuntur ægri, afflictissimamque expirant animam.

§. XVIII.

Descriptus ergo hæctenus horrendus morbus est ille, cui medendi specifica methodus in præsentî dissertatîone proponenda, & examinanda resistere perhibetur, & quæ methodus diuersis vicibus applicata a clar. de SANCHEZ virus actu extraxit omne optimo cum successu.

§. XIX.

Causam inquirentes medici proximam, repentinæ mutationis, materiæ antea blandæ apparenter, quietæ, stagnantis, in indolem tam acrem, rodentem, putridam, fœtidam, in diuersas descenderunt sententias. Alii acidam, corrosiuam admiserunt catastrophen; b) alii alcalescentem causticam declarauerunt materiam. i)

Alii

b) ETTMÜLLERVS *oper. medic. Tom. II. P. II. p. 1239.* de causa cancri agens, sic ait: „Causa proxima cancri communiter statuitur humor melancholicus, adustus, seu, ut alio nomine venit, atra bilis, i. e. si intelligibili sensu explicetur, acidum volatile, insigniter corrosiuum, de natura quasi arsenicali; & seq. §. „hoc ipsum acidum est occultum in cancro incipiente, increscente, & nondum exulcerato, manifestum autem est in cancro exulcerato.“ BERCHELMANN *Abhandlung vom Krebs p. 28.* „Es ist also der Krebs ein in denen Glanduln, oder andern lymphatischen Gefässen von einer sauren, und corrosivisch gewordenen Lymphe herrührendes, entweder verborgenes, oder offenes um sich fressendes Geschwür.“

i) HEVERMANN in den *Abhandlungen chirurgischer operationen cap. XX. vom Krebs p. 299. §. 477.* „nach innen in der harten Geschwulst zeigt sich gemeinlich eine alcalische, scharfe Materie, die zuletzt um sich frisst, die Haut durchbohret, und den verborgenen Krebs in einen offenen verwandelt.“

Alii putredinosum una cum rodente acido statuerunt principium. k)

§. XX.

Multum interest, ut perspecte videamus, quid proprie in materia illa corrodente sit accusandum, hac enim cognitione destituti frustra applicabimus remedia, nisi forsitan unum, vel alterum oblatum magis casu, quam ex præuiso euentu proficiat, suumque præstet effectum.

§. XXI.

Mea opinione, salvis quidem aliorum iudiciis, alcalinum principium, summe acre, causticum, stupendæ atque horrendæ putredinosæ corruptionis effectus est in Scirrho maligno; probabo hanc meam sententiam, auxiliante chemia, sequentibus argumentis, quantum quidem licet ab analogia experimentorum, quæ fiunt extra corpus humanum viuum, concludere ad mutationes intra corpus hoc accidentes.

§. XXII.

Primo ars nulla hactenus ullo experimento, & in solidis, & in fluidis partibus corporis humani vi vitæ, atque vasorum in humanam naturam conuersis, atque assimilatis acidi tam manifesti detexit præsentiam; neque ipsa id persuadere nobis videntur experimenta Cel. HOMBERG, quæ allegat in actis Parisinis l), cum in sanguine

variorum

k) STAHLIUS *theor. med.* p. 1315. artic. de cancro sic scripsit: „ruptio ista ratione consistentiæ suæ est, ut optime monent veteres, neque simpliciter corrosiua, nec etiam simpliciter putredinosa, sed de utroque participans, nequaquam autem neque purulenta, nec etiam lenius, & simplicius ulcerosa, sed omnino valde acris, manifestius acido salina, ut instrumenta metallica corrodat.

l) Vid. *Histoire de l'Academie Royale de Sciences*, A. 1712. edit. Amstel. 1715. pag. 58. sq. & pag. 9. sq. p. 352. sq.

variorum animalium, & solo victu vegetabili, & solo animali, & mixto pastorum destillatione acidi passim vestigia inuenit; fatetur enim HOMBERGIVS ipse ad finem destillationis demum fortissimo igne liquorem obtineri rubrum, qui & acidi & alcali notas præ se ferat; scribit, quod e sedecim libris cruoris destillati, non nisi duas uncias liquoris acidi aciditate aceti destillati obtinuerit; post rectificationem productorum primorum super capite mortuo ipsius sanguinis institutam; quis autem nescit, esse insignem admodum vim ignis violenti, mutantem, separantem, destruentem, sæpe quoque noua resoluendo producentem; quis nescit, non mutatum in sanguine, ut humano, ita & brutorum sal manere immixtum marinum, vel culinare, cuius concentratum acidum, inflammabili unitum, ex ultimo urinæ destillatæ liquamine præcipuam constituit phosphori materiam? Quis ergo non suspicetur acidum hoc Hombergianum, ultima Vulcani tortura prolectum, hoc ipsum esse salis marini acidum, dilutum adhuc magis, ac est in phosphoro? optassem etiam, ut indicasset HOMBERGIVS, quo a pastu tempore homini, brurisque subtractus fuerit ille sanguis, quem destillauit; nisi enim in ediam per biduum triduumue pro rato passum fuerit ante subtractionem animal, semper erit suspectus, quod non satis assimilata adhuc habeat aliquam ex ingestis materiam; quid, quod nemo acidus adeo, & austerus esse possit acidi animalis Patronus, ut saluis etiam experimentis his Hombergianis, & quibuscunque deducendis inde corollariis largiri mihi non debeat, longe superius prædominium esse materiæ alcalinæ in sanguine, humoribusque nostris putrescentibus, vel destillatis, si addamus etiam, butyrum, adipem, sebum, destillatione

ne

ne semper in manifestum resolui phlegma acidulum, & oleum. m)

§. XXIII.

Acidum ex ingestis præcipue farinaceis, vegetabilibus, in primis viis ortum, cumque chymo remixtum nondum pertinet ad humanam naturam, & partim chymo dilutum, diuersimode mutatur, atque infringitur, partim cum sæcibus aluinis e corpore eliminatur; id etiam, quod forsân resorbentia vasa intrat, tantæ aciditatis non est, ut tam ingentes possit creare noxas, quales in Cancro aperto obseruamus. Vegetabile enim est acidum, non minerale, mitiorem etiam indolem acidi hujus e vegetabilibus ingestis orti probat facilis resorptio per vasa lactea; si enim nimis acre foret, constringerentur hoc lumina vasorum lacteorum, sic, ut non admittere magis possent. Denique in officinis primæ digestionis affusione diuersorum liquidorum quam maxime diluitur, & tandem cum chylo sanguini admixtum, cordis, pulmonum atque vasorum efficaciam, & actionem passum, deletur in sanis corporibus, sic, ut in illis partibus jamjam assimilatis inquilinis, ne minimum vestigium ulla arte chemica detegi possit; quando etiam in corporibus laxis, debilibus ob defectum roboris non bene subiguntur, & mutantur ingesta in nostram naturam, & acidum adhucdum cum crudis non mutatis humoribus vasa pererrat, multa inde prouenire possunt mala, in ipso torrente sanguinis non solum, sed etiam in solidis partibus, ut taceam ea incommoda, quæ jam in primis viis a nimia quantitate talis acidi

m) MACQUEE *Elem. de Chem. prattiq.* T. II. à Paris 1751. pag. 436. sq. & p. 431.

acidi vegetabilis gignuntur, sc. ructus acidi, ardores ventriculi, iliaci dolores, flatus, tormina; &c. (ast plane aliter se habet hoc acidum in illo statu putredinis, quæ in cancro consideranda est; docent nos chemica pericula ex omnibus vegetabilibus, etiam acidissimis per fermentationem educi ardentis spiritus, hac autem nimis diu protrahata digestionem putridum nasci foetorem stercorem, tandemque omnia abire in corruptionem foetidam, putredinosam, alcaliscentem, deleto omni acido, & spirituoso, e qua denique massa putrida, & fracidia, igne sicco verus sal alcalinus, ast volatilis elicitur; si quis hoc phaenomenon rite perpendit, illico videbit, quid, & quantum acidum in summo illo corruptionis cancerosæ gradu efficiat, facileque intelliget, in perfecta tali putredine, qualis etiam in cancro adest, hoc acidum plane destructum, ab ejus ergo effectu nil metuendum esse.

§. XXIV.

Secundo. Argumentum e facili lactis animalis inclinatione ad acescentiam sumtum, quo probare conantur, non solum acidi praesentiam in nostris humoribus, sed etiam ab eodem acido frequentiores in mammis obortos cancos, non multum valet. Lac enim est fluidum, nondum plane in humanam naturam conuersum, & assimilantes, atque mutantes illas vires aliquoties circulando per vasa nondum passum est. n) Chylus, dum venæ sinistrae subclauiae

n) BOHNIVS *Circul. anat. phys. progymn. XII. p. m. 174.* „Lac
 „ nil nisi chylus, aut lymphæ crudior est, cum sanguine mammis ad-
 „ ductus, ab illo intra harum glandulas secretus, in earum alveos la-
 „ tiferos depositus. „ STAHLII *Theoria pag. 364.* „ Hæc ipsa
 „ vero media adhuc ejus indoles præbet proprie præcipuum argu-
 „ mentum, quod lac reuera nihil aliud sit, nisi chylus, substantia
 nempe

claviæ infunditur, mox una cum sanguine a vena caua superiori receptus; dextroque cordis ventriculo infusus, per arteriam pulmonalem pulmonibus aduectus, ibique agitato, reuehitur per pulmonalem venam ad sinistrum cordis ventriculum, ab hoc iterum in aortam projectus, certa quantitas a subclauis arteriis recipitur, & per mammarias, ab his originem ducentes, mammis ad lac educendum educitur; breue ergo hoc iter, & unus saltem per cor & pulmones transitus nondum ad immutandum sufficit chylum, quamuis contendere nolim, omnem lactis materiam breuissimam hanc emetiri viam, sed & paucam assimilationem, & natiuam indolem ingestorum remanentem demonstrat odor & sapor, quem e multis retinet lac separatum. Ad ipsam autem acescentiam, quod attinet, certus ad hanc inducendam requiritur calor gradus, qui auctus adhuc lac etiam in putredinem, ab alcalescente non parum abludentem, teste fœtore, præcipitat; euidenter ex his apparet, lactis degenerationem intra mammis in acescentiam multa producere mala, sed cancri causam proximam, quæ in summa putredine, qua vegetabiles & animales partes in alcalescentem naturam mutantur, consistit, non posse constituere.

§. XXV.

„ nempe adhuc quadantenus crudior, & a crasi animali remotior,
 „ nempe propinquior adhuc illi, unde processit, „ HOFF-
 MANNI *Syst. Med. Rat.* T. I. p. 251. „ lac est chylus, non vero san-
 „ guis immutatus. „ Notæ HALLERI in *pralect. acad.* HERM.
 BOERHAAVII in *institutiones rei med.* Vol. II. pag. 222. „ chylus non
 „ transmutatur subito, atque una circumductione per pulmonem.
 „ LOWERSVS chylum in animalibus quatuor vel quinque horis a pa-
 „ stu innatantem reperit, lacti, & chylo receptaculi, simillimum.
 „ Cap. V. pag. 237. deinde in homine ex vena secta post pastum ef-
 „ fluxisse lac, idem obseruat. „

§. XXV.

Tertio. Denique facta cum sanguine, & sero chemica experimenta nullum, uti antea jam dictum, in his manifestant acidum. Si sero a rubra sanguinis parte liberato affunditur sal alcali, nulla sequitur ebullitio, quæ quidem neque acidum affusum comitatur, unde in neutram partem experimenta hæc decidere aliquid videntur; quando autem idem serum calore fouetur, tunc ex inodoro, insipido mutatur in foetidam, acrem, fracidam indolem, calefcit, intolerabilem spirat odorem, cum acidis efferuescit, & destillatione dat sal alcalinum volatile; cum albumine oui, liquido animali perfectissimo, profus elaborato, eundem obinemus effectum, & urina putrefacta similia offert producta. Si autem hisce animalibus dictis partibus spiritus vini alcoholifatus affunditur, densantur, coeunt, & ab omni putredine immunes per innumeros annos conseruantur. Sic etiam reliquæ animalium partes, nec destillando, nec putrescendo suppeditant acidum præter illud, quod est de sale marino, exceptis obscuris acidi vestigiis in pinguedine, manifestisque in lacte non putrescente, largiuntur contra plurimæ, resolutæ fat magnam alcali volatilis quantitatem.

§. XXVI.

Quarto. Acida, nisi sint fortiora, mineralia, carnes magis conseruant, quam destruunt, & fortissima etiam, etsi carnosas corrodant partes, omnem tamen ab his arcent putredinem, ut recentissime repetitis experimentis didici. Si frustum carnis recentis oleo vitrioli rectificatissimo immergitur, intra viginti quatuor horas tota massa in unum liquidum homogeneous sanguinei coloris migrat,

migrat, & fornacis etiam calori exposita non mutatur ulterius, nec ullus putredinis percipitur sensus. Spiritus nitri fumans simili modo soluit carnem, sed colorem carni proprium plane mutat; a putredine autem infimul præferuat. Solutio hæc ultima diaphana, atque pellucida est. Quem denique fugit mos, fale culinari animalium carnes, peregre longe lateque mittendas, condiendi conseruationis gratia? nonne solutio etiam aluminis infecta, & integra animalia per multos annos a corruptione vindicat?

§. XXVII.

Inter se his collatis experimentis pronò fuit alueo, acidum corruptionis putredinosæ animalium partium nec causam proximam, nec effectum esse, illos ergo quam maxime falli, qui statuunt, putredinem cancrösam ab hoc acido gigni. Neque pro eo quicquam probat rosiius effectus, quem instrumentis exploratoriis metallicis ichor ex ulcere cancröso emanans affricat, quod argumentum STAHLIVS urget: quis enim nescit, ferrum præsertim, & cuprum ab omni humore, quem vix impurum cognoueris, arrodi tantisper? quis nescit, solis etiam alcalibus volatilibus singularem esse, propriamque in plures materias metallicas, maxime cuprum, efficaciam, ut ex ære speciosissime cæruleam extrahant tincturam; quo experimento tincturæ vere spurix argenti nituntur; o) quem fugit sublimatio ferri ope falis ammoniaci, quæ non fit absque solutione, quamuis in ea non satis tuti simus ab omni suspicione immixti acidi, quod quidem terræ, partibusque oleosis arctissime unitum ipsum com-

o) MACQVER *Elem. de Chem. Theor. à Paris, 1753, p. 235.*

ponit alcali volatile; p) quidni ergo varius ille glutinosus, corruptusque humor exulceratione cancroſa natus acerrimo alcali volatili fœtus eadem præſtare poſſet?

§. XXVIII.

Jam vero propius videam, quid in partes animales alcalia valeant volatilia æque ac fixa? Si carnis fruſtum recens oleo tartari per deliquium humectatur, atque calori exponitur, mutat ſuaue rubentem colorem in luridum, & breui putreſcit cum fœtore: Sed aperte fateor, alcali volatile ſimilem effectum non præſtare, hoc enim affuſum non ſolum carnis colorem rubrum naturalem conſeruat, ſed putredinem etiam diu arcet, unde mea hætenus aſſumta theſis, quæ alcali in putredinoſa corruptione Cancri roſionis malignæ cauſſam agere primariam affirmabat, corruere videtur. Cum vero examen chemicum abſciſſarum cancroſarum partium alcalici ſalis volatilis præſentiam ſatis ſuperque comprobet, q) & in-
ſuper

p) MACQVER ibidem, pag. 230.

q) *Memoire de l'Academie Royale de Chirurgie, Tom. I. part. III. pag. 377. à Paris.* Dans le memoire ſur une Tumeur chancreuſe a la mamelle par M. FAGET. Clar. Auctoꝝ reſectam cancroſam mammam in partes diuiſit, unam harum partium magis ulcerofam in aqua excoxit, ut videret poſtea, quales, & cujus indolis extraherentur ſucci ſub coctione per quatuor fere horas, adhibito fortiori igne durante, ſpumam denſam, quam a lympha, vel ſucco albumini ouorum ſimili deriuat, in ſuperficie obſeruauit, & inde concludit: vitiatam lympham in hoc tumore cancroſo extitiſſe cauſſam. De chemica diſquiſitione remanentis a coctione juſculi in ipſa auctoꝝ verba! p. 314.
 „ Je fis le lendemain differentes epreuves ſur le bouillon, il ne
 „ laiſſa aucun veſtige d'acidité, ni ſur le cuiure, ni ſur le papier
 „ bleu; au contraire etant melé avec le Syrop de violette, il parut
 „ contenir un ſel, qui tendoit deja beaucoup a l'alcaliſation; en ef-
 „ fet le Syrop prit une couleur verte fort ſenſible, quoique le bouil-
 „ lon n'eut encore contracté aueune mauuiſe odeur, qui fit ſoup-
 „ çonner

super etiam Clar. BOERHAAVE hujus effectum causticum in sanas partes extra omnem dubitationis aleam posuerit, r) plane non dimittam thesin, & a sententia discedam, hoc enim absolute verum est, acidum non adesse, alcali autem posse demonstrari; forsan etiam adhucdum aliud in summo putrefactionis cancrofæ statu per factam partium resolutionem produci potest principium, quod sali volatili mixtum magis tunc putredinem auget, & promouet, & sic applicationem experimenti, quo probari videtur, animalium carnes affusione soluti salis volatilii alcalici puri, & ab inquinamento reliquarum omnium,

conner quelque commencement de pourriture; le Suc de la tumeur exprimée apporta le meme changement a la couleur du Syrop, & ne fit aucune impression sur le papier bleu; & p. 316. le Suc exprimé étoit un peu epais, je tâchai par differens melanges de decouvrir quelque substance, qui pût le disoudre, j'essayai sur tout les agens, qui me parurent le plus actifs, & les plus puissans, Mr. de la CASSAIGNE, Apoticaire du Roy, qui me les fournit, desira être present a nos experiences; elles nous firent assez apperceuoir, que cette humeur reconnoit peu de dissoluaus; car l'huile de tartres par defaillance la coagula sur le champ, l'esprit de vitriol y excita une effervescence, & l'epaisit ensuite, le vinaigre distillé la fit aussi fermenter legerement, & la coagula un peu &c.

XXX 2
r) Clar. BOERHAAVE in P. II. Chem. Elem. p. 321. de Sale volatili agens: Sal, ille inquit, ætus calore corporis humani sani, ocyssime inflammatur, exurit, in gangranosam escharam conuertit, hinc penitus destruit omnem partem corporis humani, cui ita apponitur, ut motus ejus calore dicto natus cogatur retundi in illam partem, cui applicatur. Si enim scrupulum puri salis cornu cerui volatilii cuti externæ imposuerit quis, moxque tenax superposuerit de pice emplastrum, intra semiquadrantem horæ atrum carbunculum excitatum mirabitur: haud aliter, quam si ferri igniti applicata pars fuisset exusta. Quin color, dolor, calor, crispatio cutis semper eodem modo obtinent, humores vero resoluit in saniosam tenuitatem.

inprimis oleosarum partium crassiorum liberi, non tam sponte in corruptionem tendere, limitat? Et ipsa profecto singularis natura humoris in plurimis depositi, & elaborati glandulis, glutinosa, saponacea, unguinosa, quæ facit, ut recentes multæ glandulæ animales ipsis quibusdam brutis vulgato experimento nauseam, & vomitus creent, persuadet nobis, putrefactionem hanc aliunde quoque augeri, & materiam ex hac putrefactione natam singularis esse debere indolis mixtæ, etsi, quantum chemice determinare licet, atque ad cognitâs acrimonias reducere illam, quæ hic eminent, continuo adhuc insitam prædominio alcalinæ volatilis.

§. XXIX.

Denique ad concipiendam putredinem facilis, nec impeditus accessus aëris absolute requiritur, in vacuo enim nulla corruptio, nulla putredo locum habet; liquet ex his, cur materia scirrhuso tumori inclusa tam diu absque omni noxa inhære possit, & cur tandem tam ab intus irritata, quam etiam tergoribus ruptis ab admissio aëre mota, cito in summam ruat malignitatem?

§. XXX.

Cancrum medicamentis curaturus ex dictis attendat, necesse est, lymphaticum ut plurimum, glutinosum succum in glandulosa compage, vel vasis lymphaticis, vel horum cellulosa tunica hære condensatum, spissum, quem vis vitæ, actio vasorum, & impulsus humorum ægre possunt legibus circulationis iterum subijcere, quare neque scirrhî benigna sperari unquam suppuratio, prout etiam rupto carcere, tam ob summam corrupti,

&

& copiosi humoris malignitatem, quam etiam ob profundam solidorum labem, bonæ notæ pus generari non potest. Hinc ergo cogitet, excitatos, euigilantes, auctos e quacunque causâ, & ad hanc obstructam, semimortuam partem inuitatos, determinatos, ruentesque vitales impetus inducere sensim, & sensim impactæ massæ talem intestinum motum, quem omnem putrefactionem antecedere obseruamus, tandemque facere, ut omnia putrescant, atque alcalescant, vicinaque sana fluida & solida circumjacentia ab hoc singulari putrido alcalescente erodantur, atque corrumpantur, propria quidem corruptione, mixtaque alcalescentia, cujus visus facile contiguâ sanis partibus, & solidis, & fluidis affricatur, miscetur, permanensque damnum impertitur, & infundit, ut paucum fermentum materiam oppido multam, in fermentationem, sponte ad minimum ægerrime lapsuram, satis cito ad eam disponit.

§. XXXI.

Tradita hætenus *Cancri*, hujusque causarum, & effectuum historia ad examen *Mercurii sublimati* transeo chemicum, cum indicata medendi methodus, opposita Cancro, hoc in veneno potiozem salutis, & sanationis cardinem ponere videatur; exponam producti hujus chemici constitutiuas partes, & indicabo insimul, quo modo hoc compositum salino-mercuriale, arsenico inquinatum, & adulteratum, optime sit examinandum, atque explorandum, sic, ut certi simus, id ab omni arsenicali contagio liberum, tuto atque secure in usus medicos adhiberi posse. Hæc disquisitio eo magis necessaria est, quo pluris interest, nosse Medicum, pro

D

usibus

usibus præsertim internis, bonæ notæ esse mercurium sublimatum, & quo certius constat, a quæstuosis hominibus nefandi lucri causâ, ut videlicet augeant pondus sine magnis sumptibus, nonnunquam arsenicum ante sublimationem secundariam, quam eo fine adornant, immisceri, & sic sublimatum mercurium ad medica pericula noxium, atque ineptum ab his diuendi. Sunt quidem, qui non admittunt, arsenicum, & mercurium sublimatum in sublimatione combinari posse, ac si fraus cum hac merce admittatur, ambo in forma pulueris debere inter se misceri; patebit autem e sequentibus, sublimatione intime conjungi mercurium sublimatum cum arsenico, non destructa crystallina solida sua facie.

§. XXXII.

Mercurius sublimatus corrosiuus albus genuinus ex arctissimo acidi falis communis connubio cum argento viuo solo, auxiliante sublimatione sicca emergit. Methodus, qua hanc artifices combinationem efficiunt, variat, omnis autem eo redit, ut ingrediens utrumque probe ac intime jungatur; usitato modo fit, si ex. gr. uncia duodecim mercurii viui depurati duplo aquæ fortis soluantur, solutio in balneo sicco ad ficcitatem abstrahitur, atque residuo adduntur vitrioli ad rubedinem calcinati sex uncia, & totidem uncia falis decrepitati culinaris, longa trituratione intime omnia hæc inter se mixta in vitreo vase, leni sub initium adhibito igne, sensimque aucto, denique fortissimo, sublimantur, massa internos capitelli parietes obducens alba, solida, crystallinam formam referens ipsum mercurium sublimatum constituit album. Rationes processus nituntur

tur

tur sequentibus: Spiritus nitri saltim ad diuidendum mercurium melioris mixtionis cum reliquis ingredientibus caussa additur, & maxima pars hujus abstrahendo auferitur; residuum, mercurium in minores particulas diuisum continens, si cum vitriolo calcinato, & sale culinari decrepitato miscetur, & actione ignis totum mixtum mouetur, tunc acida diuersa heic contenta liberantur, & certa quasi sympathy, & singulari magnetismo junguntur aliis materiis, noua ineunt conjugia, & mutua. Vitriolicum acidum deserit sponte suam metallicam terram, arripitque mox, dum volatile aquæ fortis acidum fugam capit, alcalinam salis communis basin, cujus acidum, ab acido vitriolico sic expulsus e sua combinatione cum alcalina terra, nubet mercurio, tandemque fortiori accedente igne salis communis acidum hic subtilissimum, purissimum, concentratissimum in sublimis una cum mercurio, intime sibi juncto fertur; manet adeoque in capite mortuo, & metallica vitrioli terra cum suo acido, & alcalina salis communis basis, utramque materiam nunc vitriolicum acidum detinet, acidum enim salis id singulare habet, ut metallis albis, licet ponderosissimis certam quasi addat sub connubio volatilitatem, sic, ut hæc corpora cito ab igne sursum pellantur, teste cornua luna, intimeque etiam cum dictis albis metallis se coniungit, in sicca, vel vaporosa forma; in fluida autem ea certe non soluit. Sic enim salis spiritus argentum viuum etiam accedente coctione non mutat, cui contra, uti processus præsens docet, in sicca forma immiscetur exacte, & intime. Denique ascensus etiam ex ipsa hydrargyri volatilitate, quam additum salis culinaris aci-

dum magis auget, quam minuit, facile potest concipi; reliqua ergo acida, vitriolicum nempe, & nitrosum saltim diuisionis, liberationis, atque separationis gratia addita esse, probat illud experimentum, quo constat, mercurium nasci sublimatum corrosiuum, simplici miscela acidi salis, & argenti viui absque vitriolico, & nitroso; hac methodo haectenus recensita in Bataua integri centenarii, aut in diuersis vasis, praeparantur sublimati mercurii; alii nitrum addunt in substantia, alii ordinariam methodum secuti, ejus spiritu soluunt argentum viuum; alii plane id excludunt, tamquam rem superfluam; praeter hunc traditum modum diuersi adhuc sunt alii, quibus mercurius sublimatus impetratur, placet curiositatis gratia quosdam hic apponere: Si solutioni argenti viui, aqua forti factae adduntur quatuor salis culinaris decrepitati partes, mixtura retortae includitur, sex horarum spatio post abstractum nitri spiritum sublimatur mercurius corrosiuus albus; itidem mercurius currens in aqua forti solutus, sale communi praecipitatus, & sublimatus praebet mercurium corrosiuum sublimatum. Si denique secundum Boulduc, Gallum, una pars Turpethi mineralis cum tribus salis marini miscetur, & sublimatio instituitur, obtinetur idem mercurius sublimatus albus; sic semper nascetur, ubi salis acidum cum argento viuo sicca forma exacte combinatur.

§. XXXIII.

Productum hoc salino - mercuriale per se, nec immutatum, animalium corporibus si applicatur, exedit & destruit horum partes illico, interne sumtum ad paucissima grana, non satis dilutum, nec aliis cicuratum

rum

rum

rum

ratum præsentaneum est venenum; si e contra noua quantitate addita mercurii viui, reiterata sublimatione, falis acidum agilissimum magis infringitur, & mitigatur, emergit pharmacum egregium laxans, tutum, interne dandum, quod in morbis a vitiata lymphæ ortis, rebellibus, vix sibi simile habet, vel si ad methodum Exc. BOERHAAVE, quæ non multum abludit a proposita, tractatur, mira, teste Summo Viro, in multis insanabilibus aliâs morbis efficit interne datum. s) Quando sublimationes sæpius repetuntur, omnis effectus laxans deletur, & saltim diaphoresin producendo agit sub nomine panacæ mercurialis; acidum autem falis, quanquam intime in sublimato resolutum habeat mercurium viuum, attamen antimonio addito hunc iterum deserit, uti ex. gr. accidit, si cum antimonii minera sublimatur mercurius corrosiuus albus, ubi dimisso mercurio falis acidum regulinam antimonii partem aggreditur, cumque eo constituit notum antimonii butyrum; hoc experimentum, aliudque, quo arsenicum a falis spiritu apparenter solui videtur, ansam præbuerunt, ut negarent aliqui, mercurium corrosiuum sublimatum arsenico adulterari posse, quoniam ob aliquam antimonii cum arsenico affinitatem concludebant magis, quam experimento discebant, mercurium sublimatum cum arsenico mixtum non in sicca crystallina

1) BOERHAAVE *Chem. P. II. pag. 426.* „granum unum (sc. mercurii sublimati) aquæ uncia dilutum dat remedium cosmeticum prudenter usurpantibus. Venenum omnium insectorum cutaneorum simplici lotura. Si drachma talis mixturæ syrupo violaceo mitificata, potatur bis, ter in die, mira præstat in multis morbis incurabilibus.

lina forma, sed butyri antimonii ad instar ascendere, atque mercurium reuiuiscere. Experimentissimus aliàs Chemicus NEVMANN id ipse asseruit, t) cum aliis. Interim certo certius est, optime succedere hanc adulterationem, & mercurium corrosiuum, & arsenicum intime sublimando congiungi; experimenta hunc in finem nouiter a me suscepta veritatem rei probantia consentiunt cum illis, quæ Clar. POTT, princeps atque exercitatissimus nostri æui Chemicus instituit. u) Appo-
nam

t) CASP. NEVMANN *Chemia medico-dogmatica experim.* T. I. P. II. pag. 188. §. 15. „übrigens haben sich verschiedene sehr vergangen, daß sie schreiben, es würde der mercurius sublimatus corrosiuus mit arsenico verfälscht, und hätte man sich dafür sehr in acht zu nehmen; ja es geben einige wohl gar Kunststücke an die Hand, wie mans probiren, und erfahren könne, ob er mit arsenico ver-
setzt, verfälscht oder nicht? welches gewiß lächerlich ist, massen ich denjenigen vor einen rechten Künstler ansehen wollte, welcher der-
gleichen ins Werk setzen sollte, oder welcher geschickt wäre, arsenicum mit mercurio sublimato, sublimando zu vereinigen, oder in den crystallinisch aussehenden Sublimat zugleich mit darein zu bringen, so, daß diese Herrn den Betrug nicht recht müssen untersuchet, oder vorher nicht selbst probiret haben, ob es einnal möglich seye, arsenicum mit mercurio sublimato zugleich zu sublimiren, oder zu verfälschen. Ein anderes wäre es, wenn man diese beyde Dinge in Gestalt eines Pulvers miteinander meliren wollte; hat man aber ganzen, crystallinischen, stückichten mercurium sublimatum, so darf man sich gewislich niemals besörchten, daß arsenicum darunter seye.

u) Clar. IOH. HENR. POTT *Obseru. & animadu. Chem. præcipue circa sal commune &c.* pag. 75. ubi ait: „Si rationes ejus, sc. arsenici cum mercurio sublimato perquirimus, equidem jam GLASER in hodego chem. asserit, mercurium sublimatum cum aa. arsenici mixtum, & destillatum formare liquorem gummosum, & mercurium reuificari; & D. SPERLING in dissert. de arsenico alleuerat, arsenicum cum duabus partibus mercurii sublimati mixtum, destillatumque suppeditare butyrum, & spiritum fumantem, qui
„martem

nam mea pericula eo magis, quo plus damni tali arsenicali labe infectus mercurius adferre potest in medicina; adjungam infimul modum, quo fucatus talis mercurius sublimatus a genuino discernitur optime?

§. XXXIV.

Si uncia una arsenici albi crystallini, & pulverisati cum una uncia mercurii sublimati albi corrosivi trituratione in mortario serpentino optime miscetur, mixtum siccum album vitro sublimatorio traditur, atque in arena leui in initio, tandemque fortiori applicato igne suscipitur sublimatio, tota massa sicca forma, & absque omni vestigio cujusdam materiae butyraceae superiora petit; fracto vitro in parietibus internis superioribus apparet mercurius una cum arsenico in sublime latus albus, ad oras parum friabilis, in medio autem massae sublimatae solidus, densus, crystallinam formam exhibens, ponderosus, in fundo vitri parum pulveris leuis, grysei coloris remansit.

§. XXXV.

„ martem radicaliter solvere, & tincturis ingressum præbere perhibeatur. Sic & collectanea de bismutho perhibent, mixturam
 „ hanc sola digestionem separari: ex hoc fundamento quoque negatum hætenus fuit, mercurium sublimatum cum arsenico adulterari posse, &c. verum, cum ego duas partes sublimati cum una parte arsenici miscui, & destillationi subjeci, nil in forma soluta, seu liquoris prodiit, sed sublimatum puluerulentum ascendit, quod insequabantur fumi nigri cum tota mixtura; pauca demum pars sub forma crystallorum ascendit, & perparum pulveris leuis albi restitit in fundo, adeoque hæc omnia sicca sublimantur forma. rel.

§. XXXV. Quando arsenici albi crystallifati dimidia uncia cum uncia integra mercurii sublimati mixtura combinatur, & sublimatio instituitur, itidem ascendunt inuicem, constituunt solidum, album, ponderosum sublimatum, cujus margines ambit magis puluerulenta substantia, media autem regio, ut in præcedenti processu, solidam sistit massam. In hac etiam sublimatione restitit in fundo pulvis paucus gryseus.

§. XXXVI.

Si denique arsenici albi crystallifati uncia dimidia cum sesquiuncia mercurii corrosiui sublimati albi lege artis sublimatur, idem productum album, solidum affertur.

§. XXXVII.

Tria hæc experimenta satis superque probant possibilitatem adulterationis mercurii corrosiui cum arsenico; tria producta solidam constituunt massam albam, & crystallinam, pellucidam habent faciem, sic, ut solo aspectu a sublimato mercurio vero non possint distingui. Excell. Dn. PRAESES, cui monstraui, testem hujus veritatis fide dignissimum semper aget, & insuper etiam experimenta a Clar. POTT instituta certitudinem meorum confirmant. Corruit ergo sententia eorum, qui hætenus contrarium crediderant, seducti experimentis, quibus & oleum arsenici, & antimonii butyrum conficitur, concludentes inde, falis acidum ab arsenicali substantia, tanquam magnete amabiliore elici e confortio mercuriali, & constituere butyrum. Ast,
si

fi rite perpendimus omnes experimenti utriusque conditiones, & rationes, facile intellectu erit, ex utroque parum concludi posse; in præparatione arsenici olei spiritus salis in dupla portione arsenico puluerisato additur, & de hoc etiam accedente coctione parum soluit. v) Id autem, quod destillando alembicum transcendit in forma liquida, est materia, magis mixta intimius, quam solutio radicalis; sequitur inde, salis acidum non tam auide appetere arsenicum, ut mercuriale corpus ex hac ratione tam facile dimittat; sed si hoc etiam fit, uti videtur fieri in elaboratione antimonii cinnabaris atque butyri, intercedere debere adhuc tertium, sc. sulphureum corpus, cuius ope acidum salis, tanquam per amabiliorem hydrargyri magnetem expellitur, & postea cum substantia regulina antimonii conjunctum butyrum præbet, primum in sublimatione ascendens, quod deinde vehementiori igne cinnabaris ipsa sequitur; sine hac ergo encheiresi, qua phlogiston additur majori copia, connubium salis acidi cum mercurio additione arsenici non solui posse, sed, si sublimantur inuicem, arsenicum sic se miscere, atque insinuari mercurio sublimato, ut unam constituent massam, ægre discernendam a puro mercurio sublimato, eumque hinc maculam hanc arsenicalem retinere, & alia corpora, cum quibus miscetur, itidem inficere, atque conspurcare, &

v) *Clar. FORT cit. traît. de sale communi pag. 75.* „Arsenici relationes lustraturi aduertimus subjectum hoc coquendo in spiritu salis lente resolui, puluis leuior sub coctione supernatat, interim pleraque pars ex soluto crystallifando rursus coit. rel.

E

& sic preparata, quæ talis adulteratus mercurius ingreditur, ad medicum usum damnosa, atque periculosa euadere.

§. XXXVIII.

Demonstrabo noxæ hujus extensionem nouo experimento: quando uncia dimidia mercurii sublimati corrosiui, arsenico adulterati cum uncia dimidia mercurii viui currentis puri in mortario lapideo teritur tam diu, ut omnes globuli mercuriales euanescent, puluis fit gryseus, similis illi, quem videmus, dum genuinus sublimatus mercurius cum viuo argento ad præparandum dulcem mercurium subigitur. Si massa hæc grysea sublimatur, ascendit mercurius corrosiuus, mere insipidus, dulcis redditus, ast adhucdum ob nimium additum viuum argentum, cuius globuli epistomio chartaceo sese affigunt, parum liuidus atque luridus, quem colorem reiterata sublimatio demit; hic mercurius dulcis fat solidus est, spicula offert pellucida, alba, densa, sed nimium ne credas colori, hic imprimis necesse est; latet enim anguis sub herba, fucatus est arsenico, quod in suo sinu intime fouet dulce venenum.

§. XXXIX.

Denique, si ejusdem mercurii sublimati corrosiui albi arsenico contaminati uncia una cum dimidia uncia antimonii mineræ miscetur optime, tunc sublimatione prodit primo butyræcea massa, quæ actu arsenicales & regulinas antimonii in salis acido solutas in se continet partes,

partes, e consortio mercurii liberatas; aucto igne eleuatur antimonii cinnabaris, quam pars sulphurea inflammabilis antimonii cum deserto ab acido salis mercurio juncta format; hæc cinnabaris ab adhærentibus quicquiliis probe purgata, nouaque sublimatione exaltata meo iudicio est pura, & ab omni labe arsenicali libera, nisi in tanta adsit quantitate superflua arsenicum, ut præfens copia salis acidi non sufficiat, omni arsenico conuertendo in butyrum, sed intactam, nec subactam hujus relinquat portionem, quæ deinde omnino ab igne sursum pulsa sublimatam inficiet cinnabarim; semper enim in nouis, atque mutatis formis, chemica arte producendis, certæ atque determinatæ relationes, quoad quantitatem, qualitatem, & pondera corporum requiruntur; si enim vel in excessu, vel in defectu erratur, nunquam id productum desideratum, & expectatum emerget; in hoc autem processu mercurius sublimatus cum dimidia parte arsenici maculatus adhibitus fuit, magna ergo superest suspicio, ut inde nata cinnabaris etiam arsenici quid contineat; si autem ille corrosiuus mercurius, qui saltim tertiam, vel quartam partem habet arsenici partem, sumitur, non dubito, quin inde orta cinnabaris eueniat pura, sincera atque incorrupta, usibusque medicis apta. Cum butyro e contra, quod in hac operatione prouenit, aliter sese habet res: id enim, & inde præparatum vitæ mercurium, & ex hoc confectum minerale bezoardicum, ob contentas veri arsenici particulas, non sic, uti regulinæ antimonii, mutandas partes reddet suspectum; nisi speres, in bezoardico minerali ipsam detonationis cum nitro vim

fugare omne arsenicum, & expellere; si autem hoc fieret, forsan cum aqua ex hoc butyro præcipitata massa, & detonata cum nitro, iterumque in aquam projecta rubro colore detegeret arsenici immixti præsentiam, quod vero experimentum non institui; nullus autem dubito, quin effectus respondeat conjecturæ?

§. XL.

Addo paucis modos, quibus mercurius sublimatus verus a defraudato dignoscitur: Si in solutionem mercurii corrosivi albi genuini sublimati, & arsenico inquinati duobus distinctis vitris contentam aqua destillata factam infunditur oleum tartari per deliquium, turbatur illico solutio, præcipitatur pulvis fusco rubens, vel aurantius colore; quemadmodum etiam hoc accidere videmus, ab aqua calcis viuæ, quæ paucis sublimato permixta phagadænicam chirurgorum aquam constituit: ita etiam, quando siccæ mercurii sublimati & puri & arsenico mangonifati glebæ paucae olei tartari per deliquium guttæ instillantur, utrobique mox humectata nivea sublimati superficies saturate citrinam contrahit maculam, claro argumento: nihil prorsus experimentum probare, quo affirmant, solum genuinum sublimatum mercurium ab hoc affuso liquore salino talem induere maculam, alterum autem, id est, arsenicalem atro inde carbone notari, vel nigram concipere maculam, & obscurissimam. Eidem solutioni mercurii sublimati genuini & spurii aqua fontana factæ, si additur vitrioli spiritus, nulla obseruatur mutatio,

tatio, limpida manet solutio; aqua fortis infusa eundem præstat effectum, nullimode turbatur enim solutio, clara, & pellucida permanens. Salia denique volatilia genuinum exhibent lapidem lydium, qui illico prodit contentum arsenicum; salis ammoniaci enim spiritus, & cum sale tartari, & cum calce viua paratus, infususque solutioni mercurii sublimati albi genuini lacteo & niueo colore hanc præcipitat; fucatam e contra nigro tingit colore, ex hac enim id, quod præceptum datur, pullo aspectu, atraque facie sese sistit. Exactam ergo exhibet distinctionem, notamque tradit perfectam, qua discernere licet adulteratum sublimatum mercurium genuinum, & verum. Ultimo tandem corruptus arsenico sublimatus mercurius corrosiuus ignitis carbonibus inspersus alliaceum offert odorem, cuius præsentia testatur semper arsenicum, licet huic experimento fidem dare non semper liceat, si quidem pauca est immixti arsenici quantitas. Habemus sic methodum certam, atque veram, qua intelligimus, & discimus cognoscere, ac dijudicare, an oblatum, & ad medicos usus adhibendus sublimatus mercurius albus corrosiuus venalis tuto atque secure possit admitti, ut sic omne auertatur damnum?

§. XLI.

His præmissis disquiram nunc a priori, & posteriori, quid talis mercurius albus sublimatus genuinus in cancro efficiat, & quæ ab ejus usu interno sint speranda? Auctor methodi hujus medendi cancro quatuor grana in unciis spiritus vini quadraginta octo sol-

uere, atque singulis diebus mane, & vesperi unciam unam hujus mixturæ assumere jubet, superbibat æger ex præscripto uncias sex decocti calidi, singulisque bi-horiis mane in lecto ad sudorem componatur corpus ægri, tectum semper seruandum in perspiratione, capite, collo, auribus bene munitis; aliter tussis, diarrhœæ, capitis immanes dolores superueniunt; externe cancro applicentur epithema præscriptum, pannis laneis excipiendum, quater de die egelide, & linimentum ordinatum inungendum, post tres menses his tam externis, quam internis continuo adhibitis *Clar. de SANCHEZ* perfanatum vidit nasi cancrum, qui jam ad ossa penetraverat, & ad jugalia usque sese extenderat.

§. XLII.

Constat e §. XXX. in affecta parte cancrôsâ summum adesse virus, indolis alcalicæ, rodens, deuastans totam viciniam, serpens perpetuo, sanas adjacentes partes inficiens, tandemque omnia destruens; innuunt hæc, cardinem totius curæ versari circa remotionem partium, jamjam corruptarum, & defensionem sanarum, ne pariter inficiantur, ulcerisque denique consolidationem. Sed hæc tria, ut obtineantur, in deplorabili statu cancri ex omnibus viribus tentarunt medici, sed summa veneni agilitas, miraue subtilitas, qua sese insinuabat sanis partibus, hasque una corrumpebat, vix ac ne vix quidem admisit effectum remediorum salutarem, ut potius præsertim in initio cancri, inprimis occulti adhucdum, a Viris exercitatissimis in praxi, hunc

hunc crudelem morbum magis augere, exasperare, quam minuere consueta canceri antidota observatum fuerit. Hac experientia prisca jam monita ætas abhorruit ab omni medicatione, magis ratum habens, relinquere sibi plane scirrhosum tumorem, ad cancerum jamjam vergentem (x). Quid ferrum, & ignis efficiat? prolixius proposuit, & examinavit *Clar. TRILLER* (y), qui nonnullis tristissimis exemplis motus, plane damnosam declaravit extirpationem inueterati canceri, ferro factam chirurgico. Constat interim aliorum exemplis, imprimis exercitatissimi *HILDANI*, *Clar. HEISTERI* &c. tumorem cancrorum recentem feliciter extirpatum fuisse ferro; ratio etiam præcipue suadet excissionem, qua ictu quasi uno remouetur malum, & alias inextirpabilis riuus exhauritur, atque fons damni indomabilis obturatur. Sed locus atque regio, sedesque morbi non semper hanc admittunt medelam, & si concedunt hanc, euentus non semper respondet voto, si altius, atque profundius jam egerit radices malum. Ex his colligitur facile, ferrum & ignem non semper, sed saltem sub certa conditione a loco, regione, sede atque ætate morbi desumpta præstare opem, nonnunquam etiam plane excludi, si ad locum affectum

x) HIPPOCRATES in Libro Aphorism. Sect. VI. §. 38. „quibuscun- que occulti canceri sunt, eos non curare melius est, si enim curantur, citius moriuntur, si vero non curentur, multum tempus perdurant.

y) DAN. WILH. TRILLER Dissert. medica de nocua canceri inueterati extirpatione, nouis exemplis demonstrata, Wittebergæ, 1752.

affectum nullus datur aditus; in tali autem statu a remediis, quæ applicationem admittunt, unica expectanda erit medela. In nostro morbo talia imprimis utilia atque proficua esse, quæ omni vi putredini non solum, sed etiam summæ acrimoniæ alcalicæ resistunt, atque tam solidas, quam fluidas nostri corporis partes sic disponunt, ne facile a materia morbifica, hic præcipue lethifera, inficiantur, & quæ insuper singulari dote, & quasi specifica gaudent, qua immediate in partem morbosam agunt, satis superque elucet, deinde apparet, in - & externa adhibenda esse remedia, ut sic conjunctis viribus oppugnetur malum, & etiam injuriæ ab extus metuendæ arceantur solícite; quid enim, & quantum aër ad promouendam putrefactionem valeat, satis constat, hic ergo semper & diligenter auertendus est, defendendo topicis impositis mali fontem. Nimis prolixum foret, si enarrare vellem omnia, hunc in finem a Medicis adhibita pharmaca in- & externa. His ergo missis perscrutabor solam methodum propositam: Imò medicamentum e vini spiritu, atque mercurio sublimato corrosiuo, corporibus ægrorum ingerendum ad unciam unam pro dosi, bis de die, mane & vesperi, primariam meretur attentionem, cum in hoc residere videatur vis illa, quæ ut ad arcendam putredinem, ita & ad dirigendum motum, & actionem ad locum affectum desideratur. Mercurius sublimatus corrosiuus albus genuinus, & vini spiritus constituunt hoc pharmacon, ab his ergo ingredientibus salutaris effectus præcipue deriuandus erit.

§. XLIII.

§. XLIII.

Spiritus vini, consentiente experientia quotidiana, miram possidet efficaciam, custodiendi omnes animalium partes ab omni putredine, animalia integra, insecta, per dimidia secula, & ultra perfecte conseruat, & sic disponit, ut nec aër, nec aliud quid effectum in hæc putredinosum producere valeant, & si in parte quadam carnosa aëri, vel calori exposita jam quædam putredinis apparent signa, affuso vini spiritu incipiens corruptio deletur, tale frustum carnis, quando vini spiritus diligenter, & semper nouo addito spiritu restituitur, ab omni vindicatur putrilagine. Animalium partes, imprimis fluidæ, & inter has lymphæ primario, si putrere incipiunt, soliditatem suam amittunt, fluidiora redduntur, confluunt in liquamen fœtidum; retardat affusus vini spiritus confestim hoc liquamen, coagulando, adunandoque denuo inter se partes jamjam resolutas, quas deinde tuetur ab omni ulteriori putredine. Differt hic effectus ratione adhibiti spiritus; summe rectificatus id præstat ocyus, quam simplex, nondum concentratus, posterior ergo jure meritoque ad usus internos præferendus est, cum prior plus iusto haustus nimium coagularet lymphaticum laticem; plus ergo damni, quam emolumenti adferret, & in sano, & morbofo statu. Simplex e contra vini spiritus multo adhucdum phlegmate dilutus inspissat leuiter humores hujus conditionis, & sine notabili noxa; id certissimum est, & lex quasi æterna: ubi vini spiritus, ibi nulla putredo, & in animalibus, & in vegetabili-

F

bus

bus obseruatur; caste interim hæc applicemus ad viuuum corpus, & cum salis grano admittamus in mendendi methode necesse est; facile enim quis posset regerere, cur tot, tantisque dotibus antiseptici imprægnatus vini spiritus, cancroso infusus ulceri non illico fisteret diri mali progressum, omnesque auerteret mox horrendi morbi effectus putredinosos. Respondeo: vini spiritum actu in diuersis vulneribus, atque ulceribus arcere omnem putredinem, miramque præstare consolidationem læsis partibus; sed ubi jamjam sunt emortuæ, atque corruptæ partes, quæ adhucdum principium recondunt agilissimum, chemice intelligendum, sanam inficiens viciniam, vixque comescibile, alcalicæ indolis, non tam cito spiritum vini subigere hoc, & ejus effectus sufflaminare posse illico; tanta enim hic adest acrimonia, tantusque summæ putredinis gradus, ut etiam aliis aliâs valde comprobatis remediis vix obsecundent, nec nisi sensim sensimque continuatæ applicationi, si spes felicitis euentus superest, saltim cedant. Interim ex analogia constat, si unquam ullum remedium cancrofæ corruptioni putredinosæ possit resistere, id certo certius præstare vini spiritum, miræ hujus enim virtuti antisepticæ debemus artificium balsamandi cadauera integra, quæ per annorum fere millia reponuntur incorrupta. Concedam interim, vini spiritum in viuo corpore vi vitæ, atque vaforum agitarum alium effectum edere, ac in mortuis partibus: ast semper manebit antisepticus, & cum ipsa humana natura, vel vis illa vitæ sic adornet semper suos motus, ut arceatur, & auertatur omne id, quod vitæ ac sanitati possit esse detri-

tri-

tri-

trimento, promouebit hac ipsa ratione spiritus vini efficaciam, ut declinetur putredo. Denique scimus, ea medicamenta, quæ somnolentiam atque temulentiam excitant, mirum profuisse in cancro; exemplum de Atropæ usu efficaci jam superius allatum hoc probat, & alia etiam. Quem autem fugit similis spiritus vini vis, qui nimia quantitate ingurgitatus pari modo hanc exerit, si ergo in hoc singulari effectu sopiente, impresso neruoso systemati specifici quid contra cancrum residet, quis non videt, id in vini spiritu non solum deprehendi, sed insuper adhucdum tutius atque securius, quam in plantis illis summe narcoticis, quæ ad insaniam usque agunt, neruosque mirum in modum afficiunt, atque debilitant, cum e contra temulentia illa a vini spiritu inducta magis superficialia sit, nec tam molestas post se trahat consequentias. Semper autem intelligendus est modicus hujus spiritus vini usus, abusus enim perpetuo nocet in genere, & consuetas potentias aliàs res, & edules conuertit in venenum. Alcohol lumina vasorum ruptorum mox sic contrahit, ut hac inducta strictura præcaueatur lethalis nonnunquam hæmorrhagia, neruos, quos tangit, immediate priuat quodammodo suo sensu. Concludamus ex his: quid, & quantum cancroso ulcere infusus valeat ad compescendos atque sedandos dolores horrendos intolerabiles, atque ad auertendas hæmorrhagias, nec non contrahendo resorbentia vasa ad excludendum miasma cancrosum; talis autem summe rectificatus spiritus ad usum internum merito reiicitur, & loco ejus secundum ductum Clar. de SANCHEZ adhibetur phlegmate multo

adhucdum dilutus vini spiritus, hic enim omnem præscindet metum nimiae coagulationis, ebullitionis humorum, atque irritationis neruorum noxiae, diffundet se per omnia vasorum genera, placide constringendo vasa nouum his addet robur, augebit horum functiones, promouebit se - & excretiones, purgabit ratione hac œconomiam totam animaleam ab omni heterogeneo, accelerabit humorum progressuum, & intestinum motum, inducet sic talem corporis statum, qui non facile putredinem admittit, & ea, quæ hanc producere possent, ad peripheriam pellet. z)

§. XLIV.

Hæc vis vini spiritus non solum experientia probatur, sed facile etiam potest deduci ex partibus ejus constitutiuis; constant hæc oleo subtilissimo essentiali, summæ agilitatis & efficaciam miræ, oleum interueniente acido finissimo, at perpaucum cum aqua multa sic exacte conjunctum est, ut unum constituent homogeneum liquidum, cujus vis tamen propria ab oleo pendet. Summa hæc partium, inprimis olei subtilitas, facit, ut corpori humano ingestus spiritus omnia vasa

z) *Clar. BOERHAAVE Chem. Element. T. II. pag. 174.* de spiritu vini agens, inquit: „in corpore humano viuento odore, sapore, halitu suo spiritus animales, naturales, vitales, neruos, cerebrum „mirifice excitat, grate afficit, mouet; unde animos, sensus, agilitatem auget, alitque; inde varios per gradus tandem temulentiam excitat, quam ocyslime, sed & quam celerrime euanescentem.

vasa capillaria subire facile absque omni impedimento, & effectus ubilibet præstare queat suos, diluit aqua, roborat oleum, & una cum subtili acido putredini resistunt. Si deinde alio accedente nouo pharmaco figitur, atque determinatur actio hujus spiritus ad locum certum morbosum, & in præsentî casu cancriformum, ibi præstabit dictos effectus conseruatorios, antisepticos, & cum ulcus cancriformum foueat alcalinum principium, coagulando ejus agilitatem infringet. Exemplum analogicum hujus veritatis habemus clarum in ossa Helmontiana, ubi spiritus vini rectificatus salis ammoniaci spiritui affusus hunc illico coagulat. Simplex spiritus id etiam efficiet, ast non tam cito, & in minori gradu, nec tam euidenter, præstabit interim aliquid, & retardabit quodammodo ex allegata ratione progressum mali ad interiora versus. Interim ab hoc spiritu non expectanda erit salus unice; disquiram igitur, quid alterum ingrediens unitum valeat, & qua ratione id agat, atque felicem promoueat euentum?

§. XLV.

Mercurius sublimatus corrosiuus albus uncis quadraginta octo spiritus, ad quatuor saltim admixtus grana, secundum constituit ingrediens medicamenti. Obijcient multi confestim: quid hoc sibi velit, qualis sit speranda medela a quantitate adeo parua mercurii sublimati, qui in tanta copia vini spiritus solutus, atque diuisus vix existentia suæ relinquat ulla vestigia? Sed his respondetur: mercurium in partes infinite paruas

xs

F 3

▲ esse

esse diuisibilem, & minimam adhucdum partem esse mercurium, qui semper retineat suas virtutes, & sal denique mercurio unitum iidem summæ esse diuisibilitatis; optima microscopia in calcibus mercurii alcoholifatis detexerunt globulos; intima ergo, & ad sensus externos apparens solutio plenaria hujus metalli nihil aliud est, quam diuisio in minimos globulos, qui diuidenti exacte adhærent; fumi mercuriales, in quibus mercurius in forma inuisibili exhalat, si lamina frigida excipiuntur, confluunt in visibiles iterum globulos, sphaerulasque perfectas exhibent mercuriales; in minima ergo mole mercurii vis superstes est, quæ semper suum præstat effectum. Chemia multa suppeditat adhucdum exempla, quibus confirmatur, metalla in infinitum esse diuisibilia, sic, ut diuisione hac non obstante retineant semper suam efficaciam. Unum auri granum in aqua regis solutum sex spiritus vini libras metallico imbuit sapore, & nonnullas aquæ mensuras flauo tingit colore. Cupri solutio in sale volatili cærulea colorem hunc impertitur multis aquæ mensuris, in vegetabili regno flores suaueolentes totum conclaue suis replent exhalationibus, sine ullo ponderis sui sensibiliter amisso grano; hæ transpirationes plantarum in hypocaufto versantis nares afficiunt mirum in modum, & neruos, immanesque capitis excitant sæpe dolores. Ex his videmus: non quantitatis pondus semper producere tantos effectus, sed partium agilitatem, miram subtilitatem & concentrationem. Quod autem de mercurio hætenus dixi, pari jure applicari potest salis acido; hoc enim simili modo

ex

ex partibus valde concentratis in mercurio sublimato, & summe diuisibilibus, ac penetrantibus constat; destillationes hujus acidi comprobant id perfecte; dum enim sub forma vaporis alembicum transcendit, vix vasis coërceri potest, optima luta incassum adhibentur, viam sibi aperit per hæc, fugamque capit in auras, parua quantitas hujus vaporis improvide inspiciendo hausta unumquemque conuincet, quid, & quantum valeat minima pars acidi salis concentrati; his exemplis & experimentis de utroque ingrediente mercurii sublimati, extra omnem dubitationis aleam positus, mercurii sublimati effectum in cancro compositum examinabo.

§. XLVI.

Mercurius vim suam, atque efficaciam in glandulosum exerit systema, probant id externæ inunctionis efficacia, quin & admissi ad oris interiora cinnabaris accensæ vapores, & deglutitio mercurii cum salibus remixti, crudus enim ægre id præstat, etiam interne sumtus; sed requiruntur salia, illi admixta, & inprimis salis marini acidum, ut citius hunc effectum exhibeat; ptyalismum tunc excitat summum, si ejus præparata dulcia, saltim ad grana aliquot, bis de die, propinantur per tempus aliquod; additione enim salium diuiduntur mercuriales globuli in minores, ut citius atque promptius orificia vasorum resorbentium in tubo intestinali affatim sparsorum subire queant, cum e contra crudus mercurius ob summam suam gravita-

tem

efficaciam

tem interiora versus magis premat, & denique cum aluinis facibus egeratur; neque putem, theoriae huic diuidenti cinnabaris exemplum obloqui, cum sciamus, eam e solo sulphure conflatam & mercurio, larga etiam dosi datam, in substantia rarissime tamen, vel nunquam mouere saliuam, prout est in illo suo statu concreto, nullo mutata igne, quo in vapores resoluta, plenoque hausta ore, mox saliuam copiosam prouocat, destructa scilicet cinnabari, & minutissimas in sphaerulas diuiso ejus mercurio. Etenim, si proportionem insignem hydrargyri cogites in cinnabari ad sulphur, recte procul dubio suspicaberis, nec forsitan sulphuris acidum adeo profunde diuisisse mercurium, ut est diuisus in praeparatis cum acido salis marini, nec adeo prorsus innocentem esse sulphuris in cinnabari cum mercurio unionem, quin aliquid inde patiatur, suisque viribus impediatur sialogogis mercurius. Fundit tunc interne datus, atque liquat lymphaticum laticem, & tunc ex omni corporis regione ad saliuales glandulas ducit, & per has e corpore educit. In subiectis sanis atque robustis, quibus insunt bonae indolis succi, tardius efficaciam exerit suam, ubi e contra cacochymicae, atque scorbuticae conditiones fluidorum praedominantur, ad dimidium saltem porrectus granum mercurius dulcis cito citius agit; in genere, ubi nimis rigida, vel spasmo constricta sunt vasa, ut nimium resistent pressioni globulorum mercurialium, qui suo pondere inprimis agunt, & quando vim vasorum resistentem superare non valent, horumque ordines subtilissimos subire non possunt, suam efficaciam

efficaciam salivantem nunquam exhibebit mercurius; si e contra laxa præsto sunt vasa, uti hæc scorbuticis, & cachecticis sunt communia, & propria, mercurius se ubique insinuando mox desideratum producet pyralismum. Omnis enim effectus, quem mercurius in humano corpore edit, fuit ab ejus gravitate, diuisibilitate summa, & motu ab hac pendente celerrimo; receptus enim vasis resorbentibus, a vi vasorum projectus, & pondere proprio protrusus, atque acceleratus ubique sese insinuat, & vasa capillaria ob summam diuisibilitatem permeat, maxima velocitate, atterit suo pondere, vel diuidit instar cunei sanguineos globulos, soluit nexum eorum, & fluidiora reddit omnia, promouet ex hac lege omnis generis secretiones, lymphamque fundit, & sic omnes impuritates, præcipue autem eas, quæ in systemate glanduloso, atque lymphaticorum vasorum compage stabulantur, efficaciter tollit. In Syphilitico malo contagiosum virus educit, & glandularum indurationes remouet; dum suum edit effectum salivantem, excitat in isthmo faucium, collo, ore, atque in confiniis tumores, ob nimiam distensionem vasculorum a perpetuo largiori affluxu materiæ inductam, e quibus tandem, luminibus semper magis magisque ampliatis, atque relaxatis viscidus, tenaxque constanter effluit liquor, & dum a potiori latex hic lymphaticus quandam in se recondit acrimoniam, erosiones atque inflammationes, & omnia, quæ has comitantur, inducit symptomata, dolores adjacentium partium, capitis inquietudines, sitim, insomnes noctes, febrem, & quæ sunt rel.

G

effectu

effectu mercurii in humanum corpus apparet euidenter, quod ille in statu canceri perfecto atque completo tantum possit nocere, quantum valet in initio hujus morbi, si nempe ad ptyalismum usque continuetur. Scimus exasperari cancerum nimis motum; id autem actu fit, si salivatione lenire hunc volumus, mercurius fundet magis id, quod quietum hæret in scirrhuso tumore, & sic eo ipso promouebit degeneracionem blandæ adhucdum materiæ in putridum statum; practici ex hac ratione jure meritoque repudiant usum mercurii in cancro tam diu protractum, ut cieat salivationem. Aliter se res habet, si in principio tumoris scirrhusi, nondum plane confirmati, nec adhucdum in lapideam duritiem indurati in usum trahitur, vel externe, vel interne ad salivationem usque; tunc enim multa habemus exempla, quibus edocemur, feliciter talem tumorem nondum inueteratum extirpatum fuisse. a)

§. XLVII.

a) *Clar. VAN SWIETEN Commentaria in BOERHAAVII Aphorismos de cognoscendis atque curandis morbis, T. I. pag. 865.* „ & in scirrhis „ resoluendis sæpe argenti viui usus profuit tam internus, quam „ externus, sed tantum in scirrhuso benigno incipiente, ubi enim „ in lapideam duritiem conuersus est, & malignus fieri incipit, „ nullum omnino a fortissimis etiam mercurialibus præparatis, „ neque ab ipsa salivatione argento viuo excitata leuamen expe- „ tari potest; quin potius exacerbantur omnia, & aucto humo- „ rum motu per hoc remedium scirrhus citius in cancerum mu- „ tatur.

§. XLVII.

Quæ hætenus dixi, saltim de usu mercurii ad pyralismum usque intelligenda esse, unusquisque videbit. Aliter autem se habet mercurius sublimatus corrosiuus albus, qui per se datus summum existit venenum, & hac ratione alium etiam in corpore humano edit effectum, semper tamen ob mercurium in glandulosum systema directum, est vehementiorem, & magis rodentem, quam reliqua mercurialia præparata; ruber sic dictus præcipitatus, turpethum minerale, arcanum corallinum, nimia copia si assumuntur, deleteriam suam efficaciam certo certius exhibent, interim, si ad aliquot grana provide ingeruntur, reiteratis etiam vicibus non solum non nocent, sed & mira efficacia rebellibus aliis medentur morbis. In ipsa peste Vigo virtutem rubri præcipitati deprædicavit. *b)* Effectus, quem præter salivationem edunt mercurialia præparata, pendet a salibus adhærentibus; quo subtiliora hæc sunt, eo fortior erit vis, unde sublimatus mercurius corrosiuus, qui salis acidum concentratissimum, & subtilissimum junctum habet, præ reliquis mercurialibus præparatis perniciem inducit sumam, si per se datur. E consilio veterum chemicorum optima methodus, mercurialia præparata corrigendi, atque tutiora reddendi consistit in illa encheiresi, qua bis, vel ter vini spiritum

b) vid. IOH. DE VIGO Wund, Arzney oder kleine Practica 3tes Buch, pag. 176.

spiritum super his præparatis deflagrant, hoc enim acidum adhærens mitigatur; constat enim ex chemicis, fortissimos spiritus minerales, concentratissimos, suis saltem exhalationibus suffocantes, addito vini spiritu, sic infringi atque castrari, ut postea tutissima, atque præstantissima exhibeant interna pharmaca. Venenum sublimatum mercuriale album e salis acido concentratissimo, quod præcipue perniciosam causatur effectum, & mercurialibus globulis subtilissimis constans, pari ratione per solutionem in vini spiritu mitigatur, oleosa pars spiritus obuoluit spicula salina, & impedit, ut non tam rodere, quam potius blande, placideque roborando vasa agere queat; cum autem, uti sæpius jam monui, omnia sint subtilissima, sic etiam ultima & minima vaporum genera peruagantur, atque suam efficaciam quaquauersum extendunt. Mercurius dirigit motum ad glandulas, & lymphatica vasa, & cum cancer his inhæreat a potiori, attingit hunc etiam, soluit stagnans, ad putredinem inclinans, referat obstructa, fundit viscidum in vicinia ob motus defectum, impertitur omnibus liberum circulum. Salis acidum, quod semper socium habet mercurius, immutat acrimoniam specificam alcalinam, cancrosi ulceris sobolem, & effectum, & impedit ejus progressum in sana loca proxima, mutat ejus indolem rodentem causticam in materiam blandam; fortissimum enim acidum cum sale summe caustico alcalino mixtum migrat in tertium quoddam cum hoc, & ambo ex nocentissimis sunt mitissima, & ad internum usum aptissima. Habemus plura exempla, miræ efficaciz salis spiritus

spiritus diluti contra cancrum; c) ex eadem ratione putredini ex natura omnium salium acidorum fortiter resistit, & insuper vim vitæ, stringendo solida, auget; a salis enim spiritu hoc acidum ficcum non aliter ablu- dit, quam quod secum vehat, & intermixtos habeat mercuriales globulos, purissimum est, ut sæpe sæpius repetii, & facili negotio in fluida forma ab omni hete- rogeneo liberum fisci potest. Si butyrum antimonii, quod in confectione cinnabaris ex antimonio & mercurio sublimato primum prodit, aquæ infunditur, pul- vis albus præcipitatur, aqua supernatans decantata, est acidula parum, & si destillationi subicitur, insipida transcendit alembicum, igne leni centum tantum gra- duum, aucto igne ascendit phlegma acidulum, remoto igne, id quod remansit in vitro, jam magis est acidum, & si denuo ex retorta destillatur, exhibet limpidissi- mum, acidissimum, pinguem, fumantem parum, salis culinaris spiritum; fluit ex his: acidum ficcum effectum parum differentem ab illo spiritus salis edere; posset quis objicere: in ipso sale culinari latere hoc acidum, interim sal culinare tuto atque secure introfumi, ergo hoc acidum non separatum, nec sibi ipsi relictum, sed aliis

c) Exc. VAN SWIETEN *Commentaria in BOERHAAVII Aphorismos de cognoscendis & curandis morbis, T. I. pag. 901.* „ Spiritus salis ma-
 „ rini, cum adeo efficaciter omni putredini resistat, summi pari-
 „ ter usus erit, modo tanta copia aquæ diluatur, ut oculo instilla-
 „ tum hoc liquidum vix dolorem faciat, cancrum exulceratum
 „ mammæ in paupercula muliere, cæteroquin sanissima per quin-
 „ decim menses potui hujus remedii usu sic sustinere, ut vix in
 „ deterius vergeret, rel.

aliis immixtum nullum specificum effectum præstare. Sed respondetur: aliter se habere tales acidos spiritus, ubi cum salibus miscentur, aliter si metallis sociantur; in priori casu plane obtunduntur, in posteriori autem eorum vis rodens manet, quam blandissimis etiam metallis communicant, & his uniti summum corrosivum edunt effectum, reuera parum distinctum ab illo, quem efficiunt per se dati. Acidum ergo salis forma sicca mercurio junctum, & vini spiritu mitigatum non multum differt a salis spiritu, vini spiritu dulcificato, quis autem nescit, hoc spiritu viros in arcenda putredine produci effectus. *d)* Tandem vini spiritus temperat, mitigat, & determinat effectum utriusque, impedit ex parte blande coagulando, ne nimium fundat mercurius humores, & auertatur ipsa saluatio, ex parte autem noxium, atque rosivum, uti jam monui, acidum salis oleoso suo principio obtundit, & ejus effectum lenit. Sic unum alterum corrigit, & mutuam limitat effectum, atque unitis sic viribus in ægri salutem agunt, diluendo, deobstruendo, roborando, expellendo, putredini resistendo, & sic non solum ad cancriforme ulcus cum humoribus delata id corrigunt, purificant, acrimoniam inuertunt, immutant & abstergunt, sed in-
super

d) Clar. BOERHAAVE *Elementa chem. T. II. pag. 357.* de usu salis spiritus: „hic spiritus habet proprietates acido communes, & singulares; singularis est stomacho grata, appetitum ciens, mucosam attenuans, digestionem promovens, putredini adversa, bili corrigenda, ubi acri copia putrido peccat, apta. Gangrænae gingivarum, oris, linguæ, extirpanda pulchre prodest: sed verbo dixerim, omnes superat laudes liquidum hoc salis marini acidum.

super ulteriorem progressum hujus diri mali cohibent, a vi vitæ suffulta morbosum tollunt, corruptum separant, nouam semimortuis & semianimis infundunt vitam, restituant sanitatem, quod non fieret, si singula figillatim atque seorsim darentur, compositio ergo necessaria fuit, e qua demum emergit pharmanon tutum atque efficax. Specificam vim compositi hujus remedii in glandulosum systema comprobare videntur etiam tusses & diarrhœæ, ex negligentia atque incuria in regimine obortæ; si enim non perfecte semper tectus jacet æger, & perspiratio sufflaminatur, illico hæc sentiuntur symptomata; humores nempe ab improuido refrigerio, dum totum corpus sudore a pharmano dato madet, e corporis superficie constrictis a frigore vasorum exhalantium ostiis, retropelluntur, & cum mercurius infimul agat, diriguntur naturæ motus non solum, ut ad alia emunctoria, sic inprimis ad illas glandulas, quarum emissaria in cauum quoddam corporis hiant; cum autem in larynge, pharynge, aspera arteria, bronchiis, pulmonibus, atque subjacente cesophago ingens glandularum adsit numerus, hæc facile a iusto copiosiori affluxu extenduntur, irritantur neruei ramuli a pulmonali plexu, & recurrente neruo oriundi, excitatur tunc facile tussis, & ob insignem affluxus ad caput impetum, sub quo tamen nulla motis humoribus porta patet, sed quæ pateret naturaliter, peruerso regimine clauditur, vasorum infarctus tenstuos creant capitis dolores. Quem denique fugiunt Peyerianæ, & Brunnerianæ glandulæ, in toto intestinali tubo affatim sparstæ, nec non summa
 vasorum

vaforum exhalantium copia, quorum eructante rore interna superficies hujus canalis perpetuo madet? quis nescit, a largiori secretionem, tam in glandulis, quam in vasis exhalantibus intestinorum, & sic a nimia excretionem, ac infusione materiae in hoc cauum obortam fuisse diarrhoeam? quid mirum, talem etiam nasci, si in proposita medendi methodo ex regiminis errore ad has internas partes a peripheria copiosius ducuntur eo excernenda fluida? In ipsa salivatione, si non rite procedit, reliquae secretiones sunt largiores, si autem perfecte haec succedat, imminuuntur reliquae euacuationes. e) Intelligimus ex his facile, quomodo perspiratione a dato medicamento inducta, aut imprudenter suppressa, & tussis, & capitis dolor, & diarrhoea possint induci?

§. XLVIII.

Post consideratum agendi modum laudati medicamenti a priori, superest, ut paucis adhuc videam, quid, & quantum profit potus calidus superbibendus? Practici in omni humorum impuritate, imprimis in lymphae vitii decoctis talibus calidis summam attribuerunt

e) ASTRUC de morbis Veneris, L. II. cap. 8. pag. 149. „ aliquando
 „ tamen, sed raro nullam, vel perexiguam salivationem cieri,
 „ & oris interiora nullo modo, vel parum affici, quamvis caeteroquin
 „ roquin mercurius & debita dosi, & modo debito, adhibeatur,
 „ sed tunc plerumque paulo largiores esse, vel ceteras omnes excretiones,
 „ vel saltim unam alteram, quae idcirco sunt velut
 „ vicariae deficientis salivationis.

buerunt laudem; selegerunt inter alia radices *sassaparilla*, & lignum *sassafras*, quibus singularem inesse credebant virtutem, ad corrigendos vitiosos lymphaticos liquores; per plures hic allegare possem Autores, qui veritatem dicti probarent, ast studio his superfedeo; sufficit, me dixisse, potum talem calidum diluere, temperare, expellere, corrigere, se - & excretionem promouere, & sic reliquis medicamentis offerendis, & oblati ad melius agendum sternere viam; talia enim decocta subeunt minima vasa capillaria, & cum se cum vehant extractas, & solutas e materiis adhibitis vegetabilibus salino-oleosae saponaceae indolis, subtiliores partes, his armis instructa eo melius & fortius agunt; ex hac ratione differt etiam effectus ratione qualitatis, & quantitatis subiecti decoquendi; alia enim majorem, alia minorem possident hujus, vel illius partis, vel oleosae, vel salinae, vel mucilaginosae copiam, in aliis mixtio partium a natura sic ordinata est, ut menstruo spirituofo meliorem concedant introitum, quam aquoso, & vice versa. In praesenti decocto *sassaparilla*, & *altheae* radice, nec non *sassafras* ligno utimur; mixtio physica radice *sassaparilla* teste chemica analysi constat e multis partibus terrestribus, non solubilibus, e mucilaginosae paucioribus, respectu terrestrium, solubilibus, & perpaucis resinosis; quando unciae duae hujus radice in aqua excoquantur, euaporatione inspissata, antea autem colata, dat sex drachmas extracti aquosi, e residuo post decoctionem cum vini spiritu extrahitur saltem dimidius scrupulus resinosi extracti; id autem, quod adhucdum remanet, pendet nouem drachmas,

H

mas,

mm

mas, & scrupulos duos: si loco aquæ primo vini spiritus rasuræ hujus radice affunditur, soluit ob intimum nexum resinolarum partium cum gummosis notabilem harum copiam, sed hac methodo postrema remanent drachmæ decem residui inertis, quando post extractionem cum vini spiritu ope aquæ mucilaginosum extractum eductum fuit, claro indicio, partes terrestres inutiles prædominari, agiles autem in mucilaginoso, & resinoso principio hospitari. *Altheæ* radix e principiis, vel partibus constitutivis mere mucilaginosis constat, sic, ut coctione in aqua purum putum exhibeat gelatinosum, & mucilaginosum succum; lignum *sassafras* denique ultimum decocti ingrediens communicat aquæ, si ejus uncia una cum hac coquitur, duas drachmas extracti gummosi. Intelligimus ex his, quibus proprie nostrum decoctum scateat partibus, & quales possideat medicatas vires? præter aquam, quæ optimum est diluens remedium, mucilaginosæ partes leniunt, lubricant, dolores sedant, gummosæ, resinosæ particule, quæ principio salino subtili intermedio exacte cohærent, & saponem quendam constituunt, roborant, stimulum addunt, absterunt; in methodo proposita decoctum ergo hoc mirum prodest, & juvat actionem salutarem reliquorum remediorum.

§. XLIX.

Ultimo adhuc remedia externa consideranda veniunt. Sunt illa *fotus* & *linimentum*, quæ partim ad purgandum, & consolidandum cancriforme ulcus, partim

tim

tim ad arcendum aëris semper hic noxiū afflatum imponuntur. Experientia docuit quidem, topica talia ad domandum rebelle virus cancrōsum non suffecisse, si sola per aliquot etiam tempus applicata fuerunt, quin potius magis augeri ferocitatem ulceris, si imprimis acria quædam ad tales compositiones adhibentur; quando autem huic malo pertinaci etiam interna, & quidem efficacia, atque specifica opponuntur pharmaca, quæ in fontem mali agunt, & notabilem in eo producunt immutationem, atque inuersionem agilissimæ putridæ massæ, tunc etiam topica immediate applicata, atque internis remediis adjuata certiozem, atque feliciorē spondent euentum; conjunctis tunc viribus resistunt morbo, & ejus efficaciam infringunt. Inter hæc topica primariam attentionem merentur illa, quæ alcalini principii causticam rodendi facultatem tollunt, carnem putrem separant, & quæ impediunt, quo minus ulcus nimium serpat. *Acetum*, blandissimum vegetabile acidum, mirum conducit: ex hac etiam ratione optimi Practici semper suis remediis cancro externe imponendis immiscuerunt acetum, f) non tam vehementer agit hoc acidum vegetabile, quam minerale, ut etiam tuto intro sumi possit, & sufficit tamen ad inuertendum, & immutandum alcali, teste tartari arcano; nititur virtute hac egregia antiseptica aceti methodus

f) PLATNER *Institut. Chir. rationalis* pag. 164. Tr. de cancro & scirrho: „ idonea est compositio, quæ habet acetum, quod argenti spumam exceptit, & oleum rosarum, quale vulgo linimentum nutritum appellant.

dus conficiendi ex herbis sic dictis vulnerariis cum aceto officinales aquas vulnerarias, quorum usum internum, & externum in omni generis vulneribus, ulceribus cacoëthis, gangrænosis, & ad ipsum declinandum sphacelum mirum attollunt; in ipsa peste acetum virus contagiosum agilissimum eneruat, putredini ergo semper, & efficaciter resistet etiam in cancroso ulcere. Vasa enim stringit, hæmorrhagias impedit, calefacentem tabum obtundit, & sic ex sua parte opem atque auxilium fert eximium, reliquis & internis & externis adhibitis remediis. *Plumbacea* tandem virtutem suam exsiccantem comprobauerunt diu, imbibunt faniem, atque ichorem corruptum, exsiccant ulcus, nouæ bonæ carnis incrementum augent, semper ergo inter primaria epulotica habita, & in omnibus ulceribus malignis tanquam optima mundificantia applicata fuerunt. Cancro exulcerato imposuerunt, tanquam specifica, & laminam ex plumbo confectam in cancro nondum rupto, hac semper tecto, deprædicarunt, ut optimum defendens ab aëris afflatu damnofo. Semperuiui majoris succo vim refrigerantem, & adstringentem tribuunt Medici; non sine ratione ergo hic etiam succus nostrum ingreditur unguentum, constringendo placide dilatata, & ex parte rupta, atque erosa oscula, nouum is etiam creabit tonum, ad promouendam sanationem necessarium, & refrigerando molestum atque dolorosum inflammationis sensum leuabit, qualem etiam effectum temperantem *rosarum* atque *sambuci* aqua præstant. *Sal ammoniacum*, & *vitriolum de cypro* ad auferendam luxuriantem, & mortuam jam carnem
addita

60

60
dus
to
num
ribu
dum
viru
fem
Vaf
tem
aux
nis
fiar
nier
bon
mar
gnis
Car
lam
pto
def
jori
bu
nof
dila
is e
nec
fun
fec
pra
auf



vulnerariis cum ace-
torum usum inter-
s vulneribus, ulce-
ad ipsum declinan-
ipfa peste acetum
iat, putredini ergo
in cancroso ulcere.
impedit, alcalescen-
parte opem atque
internis & exter-
tandem virtutem
diu, imbibunt fa-
ficant ulcus, nouæ
emper ergo inter pri-
ibus ulceribus mali-
a applicata fuerunt.
nquam specifica, &
cancro nondum ru-
arunt, ut optimum
Semperuiui ma-
z adstringentem tri-
go hic etiam succus
onstringendo placide
erofa oscula, nouum
ouendam sanationem
estum atque doloro-
, qualem etiam ef-
etque sambuci aqua
trium de cypro ad
ortuam jam carnem
addita

